




V
B
J
C



Donavit
Ludovicus Michałowski
1879

THEATRUM
ELOQUENTIÆ
Jllustrium Personarum
APPARATU
Ex antiquissimis & probatissimis
Rhetoribꝰ Oratoribꝰ & Archirhetoribꝰ
INSTRUCTUM
Seu
DISSERTATIO
De MAGNA ARTE
RHETORICÆ
per
Dialogismum proposita
AUCTORE
P. FAUSTINO GRODZICKI
Societatis JESU.
SCHOLIS PALATINIS MATHESEOS PROFESSORE

LEOPOLI.
Typis Collegii Soc: JESU A. D. 1745.



IMPRIMATUR

Dat Leopoli 16. Februar: 1745.

NICOLAUS IGNATIUS
WYZYCKI
ArchiEpiſcopus Metropolitanus
Leopolienſis.

APPROBATIO R. P. Provincialis

CUm opus, quod inſcribitur Theatrum Eloquentiæ illuſtrium perſonarum apparatu &c. inſtructum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate mihi facta ab A. R. P. Noſtro *FRANCISCO RETZ* Societatis noſtræ Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ita videbitur. In cujus fidem, has literas manu mea firmatas, & ſigillo munitas dedi. Craſnoſtaviæ 7. Februarii 1745.

THOMAS DUNIN





CELSISSIMO PRINCIPI

JLLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO Dńo

D. STANISLAO

VINCENTIO

DUCI in OSTROG

Nizniow, Buſzowiec, Krzywin &c

COMITI

JABŁONOWSKI

PALATINO GENERALI

TERRARUM RAVENSIUM

EQUITI AQUILÆ ALBÆ

Legionis Sacr. R. M. & Reipublicæ

PRÆFECTO,

Ditionis Białocerquienſis Mederecenſis

Swiedcenſis & finitimorum muni mentorum

PRÆSIDI,

Miſſionum Soc; JESU Białocerquiæ & Mederec

Fundatori & Benefactori

DOMINO DOMINO & MECÆNATI

COLENDISSIMO.



Pes, soleæ, Falx iuncta Cruci, Floresq; Volucri,
Regnum His stat, graditur, floret, in alta volat.



PRINCEPS CELSISSIME



NTER eos qui perbenignè patrocinia literarum ſuſcipiunt, bina hominum animadverto genera: alterum, quod ſcientias quidem ſinu fovet, ſed non capite, amore amplectitur, non ingeniô conſectatur: alterum, quod ut amat pulcherrimas hujus mundi diſciplinas, ita ſe ſe in iisdem longo temporum uſu exercuit. Illi quidem licet in re præclara occupantur, vix tamen ſupra vulgum ſe ſe elevant; iſti etiam politiſſimos eruditosq; homines, ac ſupra communem mortalium Conditionem

eleva-



elevatos, famâ, gloriâ, virtute prævolant. Equidem Princeps Celsissime, *ubi sub Tui Magni Nominis tutelam, hanc de Natura Rhetoricæ admittis dissertationem, quid aliud agis, quàm evidenti argumento probas,* Te *& amare eximias toto in orbe artes scientiasq;, & illas consectari, imò post strenua, in omni literatura experimenta, tenere universas. Etenim quocunq; oculum vertero, omnia Tuæ sapientiæ exhibent documenta; nam rerum agendarum perficiendarumq, cognitio, à Tuis Majoribus, Tibi cognata esse videtur, quos recensere sigillatim idem esset, ac Ducum Senatorumq; Romanorum copiosissimum supputare catalogum; tamen ut orbi evidentiùs propositum meum elucescat, quantùm brevitas orationis permittit, explicare contendã.*

Ut omnipotentia Divina à tribus digitis molem terræ, ita ejus Providentia, à tribus Prussis *Principibus* Windika Buytillono & Obyzorzono *Tui nominis suspendit dignitatem, qui ante septem sæcula, sub avita semialtera, ceu Tyberii Cruce,*

Jablo-



Jab o owsciānæ *Familiæ fovebant pretia, quæ usq; nostris prodirent temporibus.* Byitillono *Patri ut auro valor, gemmæ candor sic debebatur,* Dobrogosto. *Hic cum in rebus bellicis maxima præditus fuisset cognitione præliorum,* Exercitui *universo tunc imperavit, cùm Casimirus Monachus thronum Poloniæ insedisset. Connubio felici* Maslai Plocensis Masoviæq; Ducis, *qui suffragiis Sarmatiæ ad regnum petebatur, sibi filiam fæderavit, dignus ipse regiâ coronâ, qui dignus triumphali laureâ. Utq; hoc clarissimarum Familiarum fædus in memoriam posteritati veniret, avitas* Maslaorum falces Crucibus *Prussorum sociaverat.*

Tanti sangvinis, & virtutum paternarum hæres Sanhor *gentilitiis suæ Domus armis, ut cum* Pobogiis *à quibus consortē duxerat decora partiretur, ex integra dimidiam adjunxit soleam. Quasi jam vaticiniô quôdam præluderet triumphis, cum demum Henrici IV. Imperatoris, Lechiæ imminentis, copias, ad Vratislaviam* Bole-

slaô

slaô Krywouſtô, *protereret* Dux Exercituum: *cumq; in hoc acerrimo obſtinatoq; conflictu, ſuum amiſiſſet,* pedem, *aureum accepit à Rege: quem ſibi ademptum pro Patria, intulit ſtemmati pro Domus gloria: tantò inſuper beatior, quantò filium ſuperſtitem* Scibor, *hæredem in* Pruſs *eum reliquerit, qui* Wlodkorum, Pelkarum *cæterorumq; clariſſimæ Familiæ, author extitit in Maſovia.*

Et hic jam Tua Domus Princeps Celſiſſime *multis inclaruit nominibus; multis magnisq; enituit dignitatibûs. Nam de* Wlodkorum *ſtirpe proceſſerat* Martinus *qui in arena Martiali* Imperator acierũ ſupremus, *à* Caſimiro Duce Maſoviæ, *deſtinatus eſt: in conſilio Regni publico,* Palatinus Kujavienſis, *vir non modò ferrô ſed & ingeniô potentiſſimus. Cujus nomen tanto illuſtriorem veſtram Domum effecerat: quantò alterum* Martinum *habere meruerat ſibi parem: qui à primo* Pruſſium *Principe, continua deſcendens ſerie ne pace ſolum inclareſceret Mevæ* Dux belli

for-

fortiſſimus cũ *adoratione Cromero dicitur.*

Hos, tantosq; viros præcucurriſſe Joannes *videtur* Jablonowski *Præfectus Gotubenſis, poſtremi* Pruſſium Principis, *non modò non poſtrema, ſed princeps eminensq; propago. Jablonovo, quod in Masoviæ ampliſſimis jacet Terris, adjecit aliud, quod ad Graudentum, ſitum eſt. Ut cùm, pagîs ampliaret fortunam; meritîs, nominis* Jablonovii *extenderet gloriam. atq; cùm Principes* Jablonovii *ab Anno* 1348. *fuerint, dici tamen usq; ad noſtra tempora, moderationis causâ recuſarunt, donec tandem amicitia, affinitasq; Regum ac Cæſarum Europæ, jura modeſtiæ diſſolviſſet, ad* Principis *captandum titulum arctiùs obligaſſet, atq; avitam Majorum ſuorum gloriam oblivioni dare vetuiſſet perpetuæ.*

A Joanne *accepit gratiam Polonia, ubi* Wolfangum; Plocenſis Palatinatus, *viciniarum tranquillitatem, ubi ſuum Præfectum finium, id eſt, controverſiarum in limitibus præfigendis ſupremum judicem; jam verò* Kryskii *gloriam, cum* Preclao *ſuo filio Caſtellano Sierpenſi* Pelagiam



Kryska *junxiſſet in vitæ ſociam: ex quo editus orbi ad delicias, Lechiæ ad ornamenta,* Procopius Caſtellanus Rippinenſis *vir omnibus Patriæ conſiliis commodiſſim9. In Connubii cum* Theophila Wilkanowska *iverat hic vincula, &* Dzierżgowſcium Primatem *Regni, viciniâ ſangvinis ſociavit. Hic lectiſſimarum perſonarum maritalis nexus, ut aurora juncta ſoli diem, ſic Poloniæ porrexit, omni virtute ſtrenuiſſimum* Dadźibobum *ex quo &* Dorothea in Sokołow Srzenska Palatini Plocenſis *felici germine, veluti ex adamante & luce prorupit radius,* Gregorius *qui Præſidis ditionum* Stanislaopolienſium munere *& cauſas Civiles ibidem reſolveret, & meritis ſuis, præmia à Rege conſignata reciperet: jam verò in* Plocenſi *terrarum circulo, metas fundis, ſupremâ ſententiâ, & ſcopulîs definiret: articulisq; legis militaris invigilaret ut Tribun9.*

Hunc verò veluti Jovem ſui ſatellites, ſic propagatione generis conſequitur Adalbertus, *Dobrzynenſi terræ* Caput judiciorum *datus: legioniq; militum diſcipli-*

næ

næ militaris magister. *Cum* Barbara Lubomirska de Castellano Brestensi *orta, dedit regno, limitum Poloniæ Vindicem: Regi Stephano, Legionis suæ Præfectum maximum, posteritati suæ* Paulum *eò illustriorem; quòd hic* Kolomyiæ & Luczowo *tanquam* Præses terrarū præficeretur: *bello Livonico ferret auxilia, ut specialiter delectus Imperator militum: conflictibus cū Moschis Tartarisq; magnam ferret opem ut heros strenuissimus: Patriæ consilio prodesset, ut Legatus in Turciam: domus suæ gloriam auxisset, ut cum* Anna de Comitibus in Labiszyno Kuklinska, *felix genitor* Mathiæ. *Hic* Mathias *sortes suas, honorisq; fortunam divisit cum genito ex* Kłomnicka de magnis Kłomnice *orbi edito* Joanne Stanislao in Jabłonow, Bruchnal, Pereinsko, Jabłonowski *cui Regum majestas & gladium Regni porrexerat ad Throni tutelam, & demum Scipionem obtulit ad Curiæ suæ imperia; atq; terris præfecit Sniatinensibus. Legionis S. R. M. Magister nec non ter Comitiorum Regni Mareschalcus creatus.*

Et jam iste Joannes *esse is deberet, quô nemo major, nisi sua Posteritas, quò magis ad Vos descenderet, eò DEI Providentiâ, ad majora gloriæ incrementa destinata esset. Quam enim hic sibi Conjugem delegerat? quæ ut ex Principe sangvine ortum duxisset, ita Principem Principibus dedisset sangvinem.* Anna *illi* Joannis de Szamotule Comitis Ostrorog Palatini Posnaniæ, *altera Pulcheria, maritali jure obvenit, quæ ut catenam auream variîs ex partibus structam, sic Principum Regumq; seriem, in Domus Vestræ affinitatem, unà secum pertraxerat. Etenim* Principum Zasłaviensium, *filia jam verò* Sanguszkorum in Romano & ejus conjuge, Palatinorum Bracłaviensium *Neptis, dedit* Catharinam Chodorowsciano *nomini gemmam, unàq;* Janussio *atq;* Michàéli Ducibus Wisznioweicciis *Aviam: Communicavit* Domui Dziedoszyccianæ *in eaq;* Palatino Podoliæ Dziedoszycki, Sophiam, *illam fæminam, quæ nomini suo sapientiam inquilinam, totius vitæ studio recoluit: atq; ne vester sangvis,*

gvis, veluti Danubius in mari, Nomen amitteret, ad Prosapiæ Vestræ majestatem, felici partu enixa Joannem, *Avum Tuum*, quem Castellana Cracoviensis curulis consulem; clavæ ducales Supremum militiæ moderatorem deposcerent. *Hic* Joannes *Joannem Parentem præcesserat*; *cùm enim ille Principibus, fæcunditatis suæ proventum elargitus esset, hic eundem Regibus quoq; dedit liberaliùs, cum de* Maria de Czepielowo Kazanowska Palatini Braclaviensis filia, Hedvigem Krasinscio *Plocensi Palatino vitæ Consortem eamq; Regi Poloniarum* Stanislao *Matrem, Ludovico XV. Regi Galliarum Aviam genuerat. Nec solum Joannes Joannem præcesserat, liberalitate sui sangvinis in externas Familias, verùm etiam Nominis* Jablonowscii *propagatione felici, auctus scilicet tribûs filiis*, Joanne Palatino Russiæ, Stanislao Metatore *Campi Regni, qui licet sibi* Potocciam *desponsasset, nullam posteritatem reliquerat, atq;* Alexandro Vexillifero Regni, *cui Soror* Castellani *Cracoviensis, unaq; moderatoris*



ratoris Exercituum Supremi, Sieniawska *maritata veluti rosa purpuram, aut lilium candorem genuerat* Josephum Principem, Buscensem Præfectum, *virum consularem, atq; literarum impressis insignem monumentis: ut in lucem hic antiquitatis singularem protulit memoriam, ita è* Catharina Radzivilia *Sapientissimam posteritati fovet prolem magno* Wielópolsciorum *nomini conjunctissimus.*

Porro quo propiùs ad Te Princeps Celsissime *accedo, eò magis splendore Tui Nominis micantibusq; decoribus, obtutum mentis obtundi mihi sentio. Quid enim de* Joanne Palatino Generali Terrarum Russiæ *Parente Tuo Optimo*, Equite Aquilæ albæ, Præfecto Biaiocerquensi, Moscicensi, Svecensi, Czehrynensi Bobrecensi, *aut scribere aut profari audebo, quod non infra merita tanti viri cadat? qui consiliis bellicis ac Civilibus strenuus, par Pompeio magno, Julio Cæsariq; nisi quòd suum ingenium non ad propria, sed Patriæ ornamenta, commoda, utilitates referret: cujus ego amplissima recitarem fa-*

cta,

cta, nisi hæc paulo prolixiorem fecissent orationem, atq; dictionis parcitas, recenti tanti viri esset compensata memoriâ, nisi in vobis lectissimis filiis, ceu in ampliore volumine, atq; præstantissimo exemplo, ea omnia legerentur. Quam enim laudem ex vobis sperare orbis non debuit, qui ex Joanna de Bethune *Nepte à Fratre* Mariæ Casimiriæ Reginæ Poloniarum *atq; Joannis III. Consorte orti? quam gloriam vestra Domus* Principes Celsissimi *posteris non tradet? cum res tandem, ad vos Triarios devenit, quæ in* Te *veluti in basi & fundamento primùm eminet.* Palatinus Generalis Terrarum Ravensium, *desideratus à nobilitate, dictus es à Rege: Præses Præfectusq;* Białocerquiensis Mederecensis Sviedcensis *à throno lectus, à meritis* Eques Aquilæ albæ *destinatus: à generis celsitudine* Dux in Ostrog *celebratus. Demum ne famam duntaxat Domi aleres, à Cæsare cum universa* Jabłonowsciorum *Familia ad purpuram Principum Sacri Romani Imperii provocatus es: Cum verò Tua Domus militari virtute floruisset,*

unaq;



unaq; affinitatem cum thronis Regum Cæsarumq; præseferret, insigne aquilæ albæ Eques *accepisti, utq;* Tuam *sanguinis viciniam cum Majestate Galliæ, cum sceptris Cæsarum censeret posteritas, avitis Tuæ Domus armis tria Lilia, Aquila ac mura, asserta sunt. Jam inde Cæsarum patrocinia Vestro Nomini deferenda, non modo amicitiæ legibus accipere, verùm speciali privilegiô atq; justitiæ jure vales exigere.*

Quò verò progressa est fama Fratris Tui Celsissimi Joannis, *quem cum* Polonia *magnum meritis adoraret,* Hispania, Grandem *sui Regni edixerat:* Wielohorscia *illi lecta in strictas perennesq; vitæ amicitias, soli scilicet sociata aurora, tantò illustrior, quantò hæc dignitatis purpuram à* Castellano Volhyniæ *Parente suo derivasset. Nec minus auctum Vestrum Nomen extiterat à* Demetrio Præside Becensi Covelensiq; *Purpuris ille Principum* Jablonowsciorum, *adjecit* Szembekorum *Rosas, cum* Palatini Siradiensis *genitam de* Leszczynskie, *immortali sibi desponsavit annulô.*

Ad



At hæc laus vel à fortuna vel à virtute in Te *corrivata, Vestra est:* Tua *hæc peculiaris sors est, quòd filiam de* Potockie *in solatium Tibi à* DEO *concessam* Josepho Lubomirio, Palatini Sendomiriensis, *dare; & de Cornelia Grachum, de Aurelia Cæsarem, de Attia Augustum id est de* Dorothea in Paradiso Broniszowna *olim* Palatini Inovladislaviensis, Majorisq; Poloniæ Generalis Radomicki, *Conjuge, nunc Tua Consorte, accipere Filium* Antonium *potueris, illumq; purpuris Principum involvere, qui in spem Reipublicæ optimam, Regnorum ac Imperiorum decus educatur. Cum itaq;* Princeps Celsissime *tot belli pacisq; officiis, sit præclarè perfuncta, cum tot Duces Exercituum, tot Tribunos militum, tot Palatinos Castellanosq; Domus Vestra aluerit, nonnè sapientiâ prudentiaq; summopere pertincta fuerat? At à Sapientissimis majoribus* Tuis, *veluti ab Aquilis Aquilæ, à Leonibus Leones, sic Tu sapiens procreatus es.*

Quid enim est eruditione rerum maximâ pollere, quàm rebus humanis, Divinisq; debitum deferre valorem, ut ille peritissi-

mus



mus mortalium existat, qui humanis Divina præferre noverat. Equidem quæ Tua *in Divinis rebus scientia, quæ DEI Ter Optimi Maximi Veneratio? non modò ex illa modestia, quam in Templis, in exemplum cunctis offers, verùm ex* Tua *munificentia satis colligimus, quam impendisti, ut saluti humanæ opem ferres. Białocerquia, quò scilicet barbaris nationibus propior, eò veræ religionis, germanarumq; Virtutum minùs scientior est.* Tu *ut in illa urbe, atq; circumjacentibus pagis, fidem orthodoxam firmares, Societati JESU ejusq; Apostolicæ professioni, liberalissimus* Fundator *occurristi, ut quæcunq; illa suîs laboribûs conficiet, id opus* Principis nostri *credatur. Quemadmodum enim, DEO; qui suîs auxiliîs nostras sublevat infirmitates, omnia debemus salutaria nostræ voluntatis exercitia, ita omnes Apostolicos fructus, ex animabus mortalium Białocerquiæ decerptos,* Principis *nostri meritis contribui opus erit. Nec ista solùm urbe Zelus* Tuus *pro DEI gloria contineri poterat, quin etiam in* Missionem Mederecen-

sem



ſem *Societatis JESU, Tuæ fortunæ extenderes auxilia, quibus cum noſtras levaſti curas, expeditiores in ſalutem hominum, Tuiq; præconia nos formaſti. Ne verò Tuæ poteſtati ampliſſimæ, ſubditus grex mortalium, ſuo Paſtore ac ovili deſtitutus eſſet, templum ac Parochiam* Krzywini *erexiſti.*

Nec Eremitæ S. Pauli, à Tua *rejecti munificentia, quibus Eccleſiam ad DEI cultum excitaſti. Sed ne* Tua *liberalitas in DEUM veluti in ſolem, variis nitentem dotibus, confusè ferretur, ad ſingularia Divinæ naturæ munera colenda, pectus &* Tuam *convertiſti fortunam. Etenim* Providentiæ Divinæ, *ſingularem memoriam, inter mortales promulgas,* Congregatione Oſtrogii, *in Eccleſia* Societatis JESU *inſtitutâ: &* miſericordiam DEI, *pectoribus inſinuas, erecto lautiſſimè in Archicathedra Leoburgica Altari, inductaq; Fratrum, in hanc colendam Supremi Numinis dotem, conjuratione. Porro cum duo ſint perfectionis Chriſtianæ munera, alterum contemplari, eminentem ſuper omnia ſubſtantiam, alterum in ſalute humana verſa-*

ri:



ri: Tu Princeps Celsissime *utrumq; complecteris, cum in Eremitico ordine Tua liberalitate aucto, Congregationibusq; largâ manu suscitatis, naturæ divinæ absorberis cognitione, & animarum immortali integritati, succurris levatîs Missionibus. Et quemadmodum in Divinarum rerum cultu Tua* Princeps, *præclarè enituit Sapientia, ita in humanis.*

Fuerat prodigio Sabæ Reginæ, Salomonis ingenium, quod ex regiæ domus ordine, equitatûs pulchritudine, sermonibus, responsis argumentis, ceu radii ex adamante, aut fixâ stella splendor promicabat. An verò non eadem Tuis *rebus occurrit species,* Princeps Celsissime? *Quid enim Tuîs palatiîs, aut comptius aut moderatius esse potest? quæ, ephebhorum aulicorumq; regula præclarior, quàm Tua? quid in* Tuis *sermonibus, quibus vel Patriam sublevabas vel amicis consilia dabas, intueri audireq; possumus, quod scientissimum Principem non prædicet. Sed hæc forsitan licet magnis communia tamen pluribus sunt. Id vero Tuum ac Tibi soli proprium est, quod*

ego



ego ſine ſingulari mentis Tuæ veneratione effari nequeo. Novam rem, quia novam ſcientiam, attuliſti Princeps *mundo. Dũ enim in retroactam antiquitatem defigo oculum mentis meæ, cerno evidentiùs, ex illo diſciplinarum frequenti exercitu, nullam ad hæc usq; tempora perveniſſe ſcientiam, quam vetuſtas non tenuiſſet. In obſcuritate naturæ, invenit Plato idæas: Archeum mundi alius: Democritus Epicurusq; atomos, Ariſtoteles formas: Artem difficillimam imperandi, legesq; condendi, præſcripſere, Divinus, Peripatêticusq; Philoſophus: Belli ſcientiam extendit Vegetius: Matheſim Archimedes enodavit: perplexos ſiderum curſus produxit in apricum Hypparchus Rhodius: naturam DEI non pauci quoq; intuiti ſunt. Adulatorum, pacis publicæ univerſalium hoſtium, naturam, technas, dolos, artificia, nemo ita amplè ita auguſtè, aggredi poterat, niſi Tuum ingenium* Princeps Celſiſſime. *Equidem communem hanc mortalium peſtem, adulationem ſcilicet, inſectati ſunt Vopiſcus in Aureliano, Lampridius in Alexandro, Plu-*

tarchus



tarchus in grandi ſuo volumine, Saluſtius in Catilina, ſed anguſtè: at nemo tam amplô opere ut Tu Princeps inſecutus eſt. Ipſe ille Tacitus, cujus ſententiis Tua oracula, ut modeſtiùs ageres, ut ſolidiùs explicares, inveſtiviſti, pauciora vidit in aſſentationum obſcuris artificiis, quàm Tua *mens contuita eſſet. Imo hi illi ipſi ſenſus Romano ſcriptori caſu excidiſſe videntur, ex quibus* Tu *veluti ex ſparſis lapidum ſegmentis pulcherrimam veritatis confeciſti ſtructuram. Taciti igitur moralia, non Taciti ſed* Principis noſtri *oracula ſunt. Hæc quantum* Tuam Princeps *Sapientiam arguunt. Sapientiſſimus ille, viam Aquilæ in aere, viam navis in mari, cognoſcere nequiverat, quòd earum veſtigia ita occulta ſint, ut nulla ſagacitas humana, in earum notitiam venire poſſit. Quid verò obſcurius tectiusq; adulationum technis? aſſentantium verba, in auribus reſonant; vultus in oculis verſantur; actiones in omnium conſpectu ponuntur; & tamen fœdè decipimur ſtructîs ex ingenio fallaciis? cujus enim induſtria ibi rem compertam habere po-*

terit,



terit, ubi in ſole tenebras, in melle abſynthium, in pace bellum, in lilio, fumos teterosq; halitus mira dexteritate occultant? Plus eſt in adulationum, quàm in ſecretis naturæ, cognitione verſari: & tamen Tu Princeps Celſiſſime *Tuô hanc immenſam difficultatem ſuperaſti ingeniô, has primum incognitas terras adiiſti, has vulpes ex reconditiſſimis foveîs produxiſti. Quid verò utilius, Imperiis, Regnis, Principibus à Te afferri poterat, quàm nova aſſentatorum ſcientia? Quid enim Romanum Imperium evertit, quid tot Senatores populi Romani, tot Cæſares, thronô dejecit, vitâ te teſte privavit? quid libertatem populo Romano eripuit, hancq; Gallis Hiſpanis cæterisq; nationibus aut ademit, aut plus æquo reſtrinxit? Cives Patriæ, in mutuas toties provocavit cædes, bellumq; inteſtinum, niſi adulatio? At proh dolor ſunt nonulli, non modo minimè contemnendi, ſed maxima authoritate præditi, quos hoc etiam libro affero, qui ut cavillationes Cinicorum Philoſophiæ, ingenii fallacias Sophiſtarum gymnaſiis, ita aſſentandi artificia Rhetoricæ*

con-



contribuant, hancq; pulcherrimam artem boni publici moderatricem, sani Consilii promotricem, Cordium animorumq́; regnatricem, hâc universali lue commaculent. Quis autem ab hoc infamiæ genere, Rhetoricæ innocentiam vindicabit, nisi Tu Sapientissime Princeps, *qui ut in arte dicendi versatissimus es, ita in cognoscendis adulationum laqueis perindustrius. Optimè itaq́;* Tuâ *gratiâ provisum est* Princeps Celsissime, *ut non modò sub Tuo patrocinio hæc Rhetorica, in lucem prodire possit, verùm etiam tui potestate ingenii ab omni absolvi nevo. Quod cum æque de Tua prudentia, atq; artis Oratoriæ immunitate, sperare audeo, opto enixiùs ut Mitris Principum* Jablonowsciorum, *gloriæ & famæ perennis debitum, persolvat posteritas.*

Ita vovet

CELSITUDINI TUÆ

devinctissimus F. G. S. J.

Ope-



Opera Authorum quorum judiciô & ſententiîs hic liber confirmatus eſt.

Authorum Poloniæ.

Vir Conſilii ſive præcepta Oratoria Maximiliani FREDRO Palatini Podol:

Artaxerxes & Evander, STANISLAI LUBOMIRSKI Mareſchalci Regni.

Sarmatides ANTONII PONINSKI Palatini Poſnaniæ.

Authorum ante Chriſtum natum.

Platonis varii dialogi.

Ariſtotelis liber de Pòética.

Ariſtotelis liber Maxime 3. de Rhet

Cornificii ad Herenium.

Ciceronis de Inventione Rhet.

De Oratore

De Claris Oratoribꝰ Brutus.

Orator ad Brutum.

Topica ad Trebatium.

De optimo Genere Oratorũ.

De Partitione Orat: dialogꝰ.

Academicarum quæſtionũ.

De natura Deorum.

Authorum post Christum natum.

Taciti vel ut aliis placet Quinctiliani dialog9 de causis corruptæ eloquẽtiæ.

Quinctiliani Institutiones.

Plinii Novocomẽsis, Paneg: & epist:

Eumenii Oratio.

Augustini liber retractationũ & alii.

Majoragii Cõmentari9 in librũ Arist: de Rhet:

Archirhetorum Romanorum.

Joan Baptistæ Ferrarii Soc: Jesu. Orat:

Famiani Stradæ S. J. Orationes.

Tarquinii Gallutii S. J. Orationes.

Gerardi Vossii de natura Rhetoricæ.

Rhetorum Romanorũ clarissimorũ & aliorũ.

Mureti Orationes.

Perpiniani Soc: Jesu Orationes.

Gvinisii Lucensis S. J. Orationes.

Eryci Puteani Professo: Mediolan Attico charactere svada.

Barclaii Satyricon

Patrũ Moguntinesiũ: Soc: J. Palatium Reginæ eloquentiæ.

Busæi liber de Rhetorica

Juglaris Soc: JESU præfatio in elogia

Christiani Veisii præfatio in Labbe.

Svetonii: Susenbroti. Lipsii &c.

Reliquos in Indice reperies

Præ



Præfatio Lectori necessaria.

PLura ſunt Lector benevole, quæ tibi me reum faciunt; plura, quæ inſtituti rationem reddendam poſcunt. Antomaſticon illud *magnæ artis*, Rhetoricæ inditum, tibi forſitan aut impudentia mea videtur aut affectata ambitio. Dialogi leges ruptas in hoc theatro, longo ſermonis filô ab una perſona protractô, incuſas forſitan vehementiùs, ùt ego tunc maximè videar humanitatem rejeciſſe, cùm dè humanitate ſermonis ſcribam. Nomen *magnæ artis* etſi Rhetoricæ Tullius indidit, tamèn illud non ambitione laudis conquiſitum habet, ſed rerum dicendarum encyclopædiæq; magnitudine. Quemadmodùm enim Architectura, *ars regalis*, ob ſumptus regios, quibꝰ ſe ſe perfecit; dicitur: ita hæc ob univerſam ſcientiarum congeriem, fructuumq; magnitudinem, *Ars magna* cenſenda eſt. Jam Dialogi leges violatas à me parces ideò, quòd non meo exemplô id fecerim, ſed alieno. Non ego enim venuſtiſſima Platonis colloquia ſecutus, non illos ſermones, quos theatra proponunt, ſed Artaxerxem & Evandrum: apud quos, unius actoris promptum dictione judicium, plena totius ferè ſermonis ſæpe periodus eſt. Præterea proſtat exemplo recens



liber de emendandis vitiis eloquentiæ editus 1741. qui cùm Laurenum Navianum Cæsium, censores alieni styli inducit, in medio ipsius libri Actorem reliquit. Sed sub alieno exemplo, tutus ego ab hac forsitan barbarie, minus essem, nisi me etiam ratio ad hunc instituti modum impulisset. Etenim cùm Faustinus arbitrium rerum Rhetoricarum sumit: Jovita verò variis quæstionibus exagitat: plùs respondenti, quam interrogatis sollicitanti defferendum putavi; ut non plùs videatur alter objicere, quàm alter solvere. Adde brevitatis studium, quod multa inserenda coercuit à calamo, multa ceu antiperistasi cogitationum vallata, cóègit in punctum. Et hiscè à tua severitate protectus clypeis Lector benevole, jam instituti mei calculum propono. *Postquam* liber de emendandis vitiis eloquentiæ, lucem aspexerat, ità perculit non modò illos, qui legerunt, sed quoq; qui audierunt, ut quid quid hoc sæculo prolatum à rostris fuisset, id insanæ eloquentiæ mereretur nomen. Neq; enim cum clarissimæ Ossolinii vulgatissimæq; dicendi gratiæ, acriùs ab illo critico verberarentur, cujusquam svada, non modò senibus, verùm etiam juvenibus innocens esse potuit, Inde evenit ut nonnulli si quid insvetum reperirent in cæteris, hujus libri excitati stimu-

lo, prolixiùs deriderent. Inde evenit ut hujus operis cognitione terrefacti diſcipuli, omnia Profeſſorum ſtudia, omnem induſtriam aſpernari viderentur. Solidus enim ſtylus, ſimplex, rudis, ac penè anilis videbatur: Argutus verò & ſplendidus, vitioſus: ut nec mel ſumerent, quòd dulce, nec panem, quòd aſper videretur; ſicq; famè facundiæ preſſi morerentur ac ut qui ſemel.

Fallaci deceptus piſcis ab hamo,
Omnibus inde cibis æra ſubeſſe putat. Ovidius.

Sic illis omnia ſuſpecta fuerant, omnia vitioſa, ac ſuo indigna ſtudio. Huic peſti ut occurrerem, nullum ſuberat auxilium, niſi novam lucubrationem promittendo; tantumq; valuit hic meus animus, ùt plùs paucorum menſium ſpatio profeciſſet deſperata adoleſcentia, quàm olim penè totius anni curſu. Quare hoc libro datam fidem exequor, ut in promiſſis, ita in humanioris literaturæ judicio fidelitatem amans. Nec ſolus me reſtituendæ in juvenibus diligentiæ ardor, compulit ad hujus operis conformandam, arduô ſtudio, indefeſsâ vigilantiâ, inexplicabili conatu hanc tot ex auctoritatibus confectam catenam, verùm Poloniæ à Laureno Cæſioq; inuſta macula in qua à temporibus Vladislai 4ti extinctam eloquen-

tiæ



tiæ gloriam, iſti cenſores perhibent incautiæ cum tamen ab ejus temporibus & Oratores eximios & clariſſimos ſcriptores Lechia aluerit. Prodierê quidem in Polonia & alia multa arguta opera, ſed excitandis ingeniis non nutriendis nata: maximè cùm tam varius apud nos Orationis ſtylus fovetur, quàm diverſus unius ejusdemq; hominis, pro menſura florentis, vel defloreſcentis ætatis, habitus; nec non diſſimilis auditorum indoles. Novitas enim dicendi, ut Romano populo, Ciceronis temporibus, ità ſemper Polonis cordi eſt. Hinc cæteris nationibus eandem concionem, eandem in theatro hiſtoriam ſcenicè repetere, laudi eſt, & honeſto, Polonis impudentiæ. Coguntur in Lechia Oratores, relinquere aliorùm ſcripta, coguntur ſui partum ingenii, quem uno prodidere anno abijcere, perpetuò: nec in ſinum ſui laboris aliquando reſumere, atq; ſemper omnia dicenda, novâ Minervâ condere. Tanta eſt vulgi inſolentia, tanta Oratorum Poloniæ induſtria; quæ plures orationis formas protulit, quàm quisq; aùt legere aùt audire cæteris in regnis potuerit. Ut ſi quæ vitioſà in delectis Oratoribus repereris, culpam in ſtylo admiſſam, non in Authorem ſed Auditorem rejicias. Ergo hôc librô, qui jam à duobus annis & ultra à calamo exierat inter

Cen-



Cenſorum manus librariorumq; verſatus, protegenda quoq; fama Poloniæ, omnium nationum riſui expoſita, occurit: quæ ideo parcent, quòd in arte magna plures, maximè juvenes vitioſi extiterint.

Porro nemo mihi ſuccenſeat, quòd hoc opus perpetuis Authorum ſententiis conſtruxerim. Nam ea eſt præſenti ſæculo ingeniorum felicitas ut in quamcunq; partem voluntas inclinaverit, eam ſeriò tueri rationibus poſſit: indeq; eveniat, ut inter verum & falſum, niſi multis ſcientiis inſtructi, ac ſeduli rerum exploratores nequeant diſcrimen ponere. Præterea parendum erat, Authoritati verbisq; Urbani VIII. Clementis X. & noviſſimè dum hæc imprimerem, Benedicti XIV. Kalendis Aprilis 1745. quæ *ad coercendam licentiam & impudentiam typo committendi, quæcunq; ſcriptoribus in mentem venerint* interpoſita eſt. Ne itaq; arbitrariò dicerem, tota antiquitate rem meam comprobare placuit.

Abſit autem à me, ut cum quoquam manus conſeram, mea duntaxat proſequor, non tribunal ingredior, ut in aliena inquiram peccata.

Tui muneris erit Lector benevole. ut quæ utilia, quæ vera, quæ uſu Sapientiſſimorum Sanctiſſimorumq; hominum comprobata, illa probes, quæ verò ſuperflua, quæ nulla autho-

ritate



ritate, nixa, illa pro Tuo placito rejicias, atq; Critico noſtri ſæculi conſentias vel diſſentias: commodò ſcias illum notam bonæ Critices nõ conſecutum. Et quoniam in Civilibus materiis, amplior deſideratur doctrina, hanc aliquando Patria te docebit lingva.

Sex autem partes complectitur hoc Theatrum *1ma* Inventionem percurrit: diſpoſitionem *altera*: *3tia* Elocutionem examinat: *4ta* Genus demonſtrativum ruminat. *5ta* Monumenta Oratorum fere omnia ponit ob oculos. *6ta* Scholaſticas exercitationes, juvenumq; perſtringit ſtudia.



DIA-



DIALOGUS de magna Arte.

ACTORES
FAUSTINUS & JOVITA.

Prologus.

Sectio I.

Latina Lingva à vulgi usu exempta, adeoq; communis sapientibus, de qua judicium ferre pertinet etiam ad Polonos.

Jovita Ea est temporum infelicitas Faustine, ut non modò totus orbis abeat in arma, verùm & ad dissidia quædam, eloquentiam provocet. Porta enim Otthomanica infestîs concur-

rit ſignis cũ Perſide, Sveci ceu nubes imminet fulminea, Jmperium Chriſtianum pro electo Carolo VII Cæſare Europæ, Gallias, Saxoniam, Pruſſiam evocavit contra Reginam Hungariæ, quæ ſanctionis *pragmaticæ* tuetur ſenſum. Hiſpani mari ſunt infeſti Anglis: Sardinia, Hollandia, Veneti ad capulum feré manum tenent. Nec eloquentia pace fruitur: curîs procelliſq́ vexatur. Jn publica enim Lutetiorum Academia, media propoſita 13 April: Anno 1742 quibus uſu hominum corrupta verborum ſignificatio, ſuæ poteſtati reddatur. Jn Polonia verò quidam ſeu licentiâ, ſeu concitus bene merendi de humanoribus, ſtudiô, prætextu emendandorum vitiorum Oſſolinio, magno Lechiæ Oratori, auguſtis legationibus perfuncto, ac Bortochovſcio, cæteriſq́ infixit aculeum; in critice, cui titulus: *Liber de emendandis vitiis eloquentiæ.* Subriſit ad hæc *Fauſtinus* tum aliquantùm cogitatione ſuſpenſus: Gal-
lis

lis equidem idem respodendum censerem, quod Tiberio Cæsari, pro puritate lingvæ Latinæ acriùs stanti, Sapientes Romani retulerunt. Huic in sancitum publicum, omnem vigilantiam prætergressa vox Græca, Latinum induta habitum irrepsit: insumit magnam noctis incubantis partem, quo melior vel æqualis dictio è Patriis excogitaretur: elusit diuturnè cursitantem cogitationem, inanis sollicitudo, opemq́ a Sapientibus postulare coëgit. Hi diu, multumq́ veluti de substituenda basi, ruenti Capitolio vexârunt, curã peritiamq́ lingvæ; sed pari eventu: hoc solúm protulerunt. *Scito o Cæsar nullam vocem, manentem habere civitatem*: sanxeruntq́ ut in gratiam Jmperatoris, vox illa à barbarie vindicata, classica fieret. Jta nec Academiarum sancita, nec sapientum decreta, frænare possunt lingvæ, aut præcipitia, aut exigentias. Jlle veró, qui acerbiùs styli diversitatem accipit, mihi excellentior videtur

tantò, quantò majorem animum emendandi vitia eloquentiæ, affert. Cui enim medici non ſunt chari, qui ſanitatem læſam reſtituunt? Quod ſi nobis librum obtulit felicitas, qui collapſam eloquentiæ dignitátem erigat, tantò nobis communis ſolatii relictum putabo quantò caſtigata oratio, plus jucunditatis habet, quàm temeraria. Demum cum Author typi ſapiens ſit, jure ſuo agit: cum enim lingva Latina non Romanorum propria ſit, ſed ſapientum, teſte Mureto, quód in Poloniam quoq; idem arbitriùm uſu capiat, noſtram authoritatem provehit vehementiùs. Eſt autem is Muretus, quem Sigismundus Rex auxilio Zamoyſcii, mille aureis in annum pactis trahere conatus, ut profitertur in Polonia Rhetoricam: ſed Muretus à Pontifice ſupra quingentos, item quingentîs aureis auctus, nobis deſideria reliquit, famam veró ſuam Romæ, probè extulit, provexit fortunam. At non ſolo

ſapien-

ſapientiæ titulo lingvæ Latinæ, aut diſſidia aut peccata judicamus Poloni: verùm patrium noſtrum idioma jus quoddam nobís defert. Si enim R. Patri Dembolecki Ordinis Seraphici damus fidem Slavonicus ſive Polonicus ſermo, Parens eſt & Mater Latini, quod ille tum rerum memoriâ ſingulariter probat, tum inductione multarum vocum, aſſerto veritatem adſtruit. Ego riſu dignum hoc monumentvm ſemper eſſe putavi, ſed ut legi, nihil á vero eſſe alienum cenſui, imo ab omni falſitatis fuco, procul diſſidens. Tu Jovita ne diſſentias lucubrationi, niſi legeris, ſi legeris inſtitutum hoc Authoris, forſitan approbabis. Ego hactenus non poſſum ſatis mirari, cur ii, qui aut in Jtalia, aut Germania, aut Gallia orti ſunt, ſemper germanum Latinæ lingvæ ſonum corrumpant, adeo ut aliqui, nimis molliter, aliqui nimis aſperè, ſemper tamen patrio tono conformiter pro-

nuntient, & plures audio maternæ lingvæ vitiô, barbarè loqui latinè: á noſtra autem lingva nulla labes Latinæ adhæreat: quæ omnia poteſtatem aliquam in orationem Latinam nobis conferunt, ut qui naturâ comparati ſumus, ne hanc corrumpamus, quid in ea depravatum ſit, faciliùs judicemus.

Hic *Jovita* vel patientiam Fauſtini vel ſummam approbationem Cryti-ces miratus, in animo conſtituit, eum interrogatione pulſare, ut vel in eundem ſenſum cum Critice caderet, vel in contrarium abiret. Nova enim quæcunq; niſi judicem germanum nanciscantur, aut ſummo contemptui, aut ſummo pretio ſunt, & vix conſiſtunt in medio. Tum *Jovita* mirari ſanè non poſſùm, cur nonnemo, eos, quorum facundiam miratur hucuſq; Roma, cenſoriâ virgâ caſtigaverit. Sed me magis in ſtuporem rapit, quod Fauſtine læſam tantorum virorum Authori-

thoritátem molliori. manu palpas

Sectio II

Censurîs afficiuntur semper magni.

Faustinus: Tuné o Jovita, magis hic auctam dignitatem eorundem non vides? summorum est á quibusvis censuram ferre. Multo tempore præmeditati labores, fere semper extemporali temeritate castigantur. Quid Pliniô augustiús? attamen & ille nactus est eos, qui se reprobassent. Sic enim epist: ad Lupercum. *Visus es in scriptis meis adnotasse quædam ut tumida, quæ ego sublimia: aut improba, quæ ego audentia: aut nimia, quæ ego plena arbitrabar. Plurimum autem refert, reprehendenda an insignia. Omnis enim advertit, quod eminet & extat, sed acri intentione dijudicandum est, immodicum sit an grande, altum an enorme. Sed opus est examine & libra; incredibilia sint hæc & inania, an magnifica & cœlestia. li-*

Cicero quoq́, cujus admirabilis eloquentia, in omnibus oris Académiisq́ intonat, huic malleo hominum se se minimè subtraxerat. Jta lego in Tacit: dial: *Vitio malignitatis humanæ, vetera semper in laude, præsentia in fastidio esse: satis constat, ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus & tumens, nec satis pressus, supra modum exultans, & superfluens, & parum Atticus videretur. Legisti utiq; & Calvi & Bruti ad Ciceronem missas epistolas, ex quibus facile est deprehendere, Calvum quidem Ciceroni visum exsangvem & attritum, Brutum autem, otiosum atq; disjunctum. Rursumq; Ciceronem à Calvo malè audiisse, tanquam solutum & enervem. A Bruto autem (ut ipsius verbis utar) tanquam fractum atq; elumbem.*

Tarquinius quoq́ Orat: 2 num: 52 integrum sapientissimorum exercitum, qui extra obtrectationis ictum, esse non poterant, in unum deducit theatrum; ita enim; *Nihil hic ego de Ter-*

tuliano, de Irenæo, de Sidonio Appollinari, qui verbosiorem quàm par sit, subtiliorem, obscurioremq; in Aristotele reprehendunt orationem. De Attio apud Eusebium dico, de Lactantio, de Gregorio Nazianzeno, qui omnium prudentissimè nevos in tanto Philosopho deprehenderunt. Damnant enim atq; improbant, hominem minus à naturalibus assurgentem, in humilibus ac terrenis hærentem semper, in humanis disertum, hebetem in Divinis. Plato fortasse nullis reprehensionum obeliscis confodietur? habet enim is, quia de Divinis ausus est dicere, præcones magis validos, & bene vocales. Hunc videlicet Numenius vocat Moysem Atticè disserentem, hunc Augustinus (Labeonis sententiam, qui eum inter semideos collocârat, minus tamen claro Philosopho, & Divina copiosè pertranctanti congruentem ratus) Diis ipsis anteferre non dubitat: sed sunt tamen, quæ in hoc etiam requirant. Quemadmodum enim Aristoteli, rerum Divinarum cognitionem & doctrinam deesse vident, sic in Platone naturalis Philosophiæ studia, non

inveniunt. Ad Latinos veniamus quorum videtur aciem ducere M. Varro, Vir omnium acutissimus, qui tam multa scripsit, ut ea vix quenquam legere potuisse credamus. In hoc tamen eloquentiam desiderat Augustinus. Julius Cæsar omnibus oportunus atq; accomodatus ingenuis artibus, vix ullam quam non attingeret prætermisit, & tamen dici potiùs à nobis poterit quòd armatorum millia, ejus inflammavit oratio, quàm quód aliâ rerum scientiâ clamores fecerit. Unus in Latinis est Plinius. Qui non modo ad Græcorum natus Encyclopediam, sed jam Encyclopediam ipsam tenere videbatur. Nám ut de hominis taceam monumentis, quorum tantummodo series & nomina ex infelici naufragio enataverunt ad nos; unus ille naturalis historiæ commentarius opere tam spisso tam varius, quàm ipsa natura, planè demonstrat, quantam è sæculorum omnium memoria, quantam è cælo, quantam è terris ac mari, quantam ex universis propè doctrinis hausisset cognitionem, & tamen inventi sunt ad extremum, qui ampliorem in eo Græcæ lin-

lingvæ requirerent eruditionem: inventi sunt qui cæterarum examinandis rerum ponderibus, nullum reprehendendi finem, invenient. Restant postremi, Picus Mirandula, qui propter unicum illud ingenium, vulgo dictus est Phœnix, incurrit in oculos omnium unus. Quam enim ille scientiam, non dico neglexit, sed non omnibus aptam assecutus est partibus? quarum gentium peregrinarum non didicit ille lingvas & expolivit? quam antiquorum remotiorem doctrinam, desertam jam, & ab hominum exulantem memoria non restituit, ac veluti postliminio revocavit? Deniq; trium circiter & triginta annorum perbrevi quo vixit tempore, attamen incredibilis sapientiæ famâ evectus est, ut in magicæ suspicionem facile venerit, cujus cum vim criminosè jactabant adversarii, subitò illam arripuisse rerum cognitionem, quæ major humanâ videbatur. Sunt qui in singulis illis scientiis sentiant acerbitatem ingenii & herbescentem sine fruge viriditatem. Ego eloquentiam elegantem certe, ac expolitam orationem, quæ Rhetoricæ munus est proprium, in homine non intueor. Non

Nonné itaq; Jovita hîſce obtrectationibûs & aculeîs auctam potiùs, quàm diminutam horum, quos recenſui virorum dignitatem cenſes? *Jovita.* Equidem virorum amplitudinem ita ex defectu teneo, ut ſolet moles campanæ comprehendi, ex nolæ vaſtioris fragmento: quam tamen particulam avulſam dolemus intimius, atq; læſam integritatem deploramus. Quod cùm in cæteris, tum idem neſcio quô ducti entheô, in orationibus agimus, ut una vox minùs emaculata, una periodus minùs compoſita, ſvadæ deleat pulchritudinẽ

Sectio III.

Aperitur cauſa uninerſalis, ob quam etiam ſanos oratores reprobamus.

Fauſtinus. Jd naturæ aut virtute aut vitiô habemus, ut nobis noſtra ſemper venuſtiora appareant, quàm aliena. Quota eſt etiam ruſtica mater, quæ non magis ſuam quam Reginæ collaudet

magis

filiam? Quotus quoq́ inter Oratores, qui alterius lucubrationem, quacunq; nota ingenii vel eloquentiæ distinctam à sua, non derideat aut contemnat. Hæc flamma etiam Italiā à multis annis corripuit, ac non modicam admirationem Archirhetori Romano Gallutio expressit, qui oratione 9. vol 1. non modo Pollionem Asinium, ob dicendi diversā formam, infensum Ciceroni admiratur, verùm hac peste cunctos oratores afflatos, vehementius deplorat; ita enim. *Nam ut ordiar ab eloquentia, nescio qui fiat, ut nemo in hac exercitatione versetur, quin simultates quodammodo sibi suscipiendas putet, cum iis, qui longè aliud sequuntur orationis genus; perinde acsi forma illa dicendi varia, nota quædam sit dissidentium animorum. scimus profectò non unum esse vultum eloquentiæ, sicut non unus est hominum: & tamen quia singuli sumus orationis, succensemus cæteris, nisi sermonem fingant arbitrio nostro, etsi rota currente, probabiliores populo evadant, etiam invidemus.*

Qui-

Quibûs flammîs, hic ipſe Archi Rhetor Romanus uſtulatus eſt, peneq; ad deſperationem ſui coactus ſtudii, quem doloris ſui ſenſum orat: 6ta vehementiſſime exaggerat, dum dicit. *Quando Rhetoricæ patrocinium ſuſcipere non poſſum, quin aliqui ſibi ipſis bellum inferri putent: ego qui nunquam turbas amaverim, argumentum hoc anno tractare inſtitui, ſuſpicioſis iſtis dicendi magiſtris, minimé litigioſum, gratiſſimum ni fallor univerſis. Cum enim animo penderem, neq; providere ſatis aut ſtatuere poſſem, quam demum ingrederer viam, ut non ſolum reipſa dicerem innocenter, ſed etiam innocens á vobis haberer, mihi commodum occurit Donatus.* Sicq; ſe ad Virgilii allegoriam oratione explicandam contulit. *Jovita* Ergo iſta ſit Oratorum coſvetudo, quam attuliſti Fauſtine, de re eloquentis eſſe, ut alienam expugnet ſvadam. Quemadmodum mos Philoſophorum tenet, ut aſſeverare ſuas ſententias non videantur, niſi proturbent oppoſitas· Nunquam forſitan

tan mellea Platonis esset dictio, nisi-
totum Oratorum collegium, in Gor-
gia irrisisset. Figat quisq; aculeos in alie-
na svada, exsibilet alienā dictionē. Nam
hic mihi maximus Orator, qui alienæ
svadæ contemptor maximus.

Sectio IV.

Afficere censurâ Orationes reliquorum est contra Oratorum regulam.

Faustinus: Equidē non ignoro con-
tentionem aliquando fuisse necessariam
hac fides, hàc Philosophia, hac Theo-
logia fortiùs radices agit. At nos Ora-
tores ipsa arte, à censuris abstinere ju-
bemur. Jpse Cicero eloquentiæ parens,
in suis dialogis de eloquentia, de quibus
ait Puteanus. *Orat: 2da. Sume Cicero-
nis de oratore luculentum opus, an non citi-
ùs ad anni terminum, quàm librorum fi-
nem appuleris,* plusquam quinquies no-
minavit Platonem, semper cum laude,
& ubi eum persequi necessum erat, ex-

tulit

tulit elogiis: miratur enim quod Plato *ipſe in perſequendis Oratoribus ipſe fuerit ſummus Orator.* At ubi exceſſit ex hàc officioſa ſchola, ceu è ludo deſcendit ad pugnam, nempe ad naturam Deorum, id abſurdum contra Platonem intulit, quod ne thure quidem Sabæo leniri poſſit. Jnfert enim, quod ſibi ipſi in contra dixerit, quod ſecum pugnarit, lib *imo de natura Deorum. Jam de Platonis inconſtantia longum eſt dicere: qui in Timeo Patrem hujus mundi nominari neget poſſe, in legum autem libris quid ſit omnino DEUS inquiri oportere non cenſeat. Quod vero ſine corpore ullo vult Deum eſſe, ut Græci dicunt Aſomaton, id quale eſſe poſſet, intelligi non poteſt, careat enim ſenſu neceſſè eſt, careat etiam prudentiâ, careat voluptate, quæ omnia cũ Deorum notione comprehendimus. Idem & in Timeo dicit & in legibus: & mundum Deum eſſe & cælum; & aſtra & terram, & animos, & eos, quos majorum inſtitutis accepimus, & quæ per ſe ſe eſſent falſa perſpicuè & inter ſe*

vehementer repugnantia. Quantum hìc pungit, ubi officium humanioris literaturæ nón defendit? Sed jam perspiciamus, quid reliquis oratoribus deferat idem Cicero lib: 3. de Orat: quem locum si integrum legisses Jovita multò abundantiùs instruereris. Ubi enim mirabilem in naturis varietatem recensuit, ad artes, demum ad eloquentiam accedit. *Una fingendi est ars, in qua præstantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus, qui omnes inter se dissimiles fuerunt, sed ita tamen ut neminem sui velis esse dissimilem. Una est ars ratioq; picturæ, dissimilimi inter se Zeuxes, Aglaophon, Apelles, neq; eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua deesse videatur. Et si in iis quasi mutis artibus, mirandum, & tamen verum: quantò admirabilius in oratione atq; lingva? quæ cum iisdem sententiis verbisq; versetur, summas habet dissimilitudines, non sic ut alii vituperandi sint, sed ut ii quos constet esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur: atq; id primum*

in Pòëtis cerni licet, quibus eſt proxima cognatio cum oratoribus, quàm ſint inter ſe ſe Ennius, Pacuvius, Actiusq; diſſimiles: quàm apud Græcos Æſchylus, Sophocles, Euripides, quamquàm omnibus par laus, in diſſimili genere ſcribendi tribuatur. Aſpicite nunc eos homines, atq; intuemini, quorum de facultate quærimus, quid interſit, inter oratorum ſtudia atq; naturas. Svavitatem Iſocrates, ſublimitatem Lyſias, acumen Hyperides, ſonitum Æſchines, vim Demoſthenes habuit: quis eorum non egregius? tamen quis cujusquam niſi ſui ſimilis? gravitatem Africanus, lænitatem Lælius, aſperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo, & canorum; quis horum non Princeps temporibus illis fuit? & ſuo tamen in genere quisq; Princeps? Sed quid ego vetera conquiram, cum mihi liceat uti præſentibûs exemplîs atq; viris? quid jucundiùs auribus noſtris accidit hujus oratione Catulli: quæ eſt pura ſic, ut latinè loqui pene ſolus videatur, ſic autem gravis, ut in ſingulari dignitate, omnis tamen adſit

huma-

humanitas ac lepos. Quid multa istum audiens, equidem sic judicare soleo, quidquid addideris aut mutaveris, aut detraxeris, vitiosius & deterius futurum. Quid noster hic Cæsar? non ne novam quandam rationem attulit orationis? & dicendi genus propè induxit singulare? quis unquam res præter hunc tragicas, pene comicè, tristes remissè, severas hilarè, forenses scenicâ propè venustate tractavit, atq; ita ut neq; jocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiîs minueretur? ecce præsentes duo propè æquales Sulpitius & Cotta, quid tam inter se dissimile? quid tam in suo genere præstans? limatus alter, & subtilis, rem explicans propriîs aptisq; verbis, hæret in causa semper: & quidquid judici probandum sit, cùm acutissimè vidit, omissis cæterîs argumentîs in eo mente orationemq; defigit. Sulpitius autem fortissimô quôdam animi impetu, plenissimâ & maximâ voce, summâ contentione corporis, & dignitate motûs, verborum quoq; ea gravitate & copia est, ut unus ad dicendum instructissimus

 vide-

videatur. Dum hic aliquantum reſpiraret Fauſtinus Jovitæ, Ex Worpizio fol. 538. parte 6ta occurrit. Cæſarem tam felicis fuiſſe ingenii, ut quatuor diverſas epiſtolas, ſi ipſe quintæ incūberet, ſin ſecus ſeptem, poſſet dictare ſimul. Sed imminentem cogitationem expulit admiratio humanitatis Tullianæ, quæ Cottam inornatum, Sulpitiū vocis non niſi armatum contentione, ita extolleret. Diu commentari non permiſit producendo *Fauſtinus* è cæteris, hāc legē humanitatis. Plinius quoq; quod Reſtituto ſuo ſvaſit, idem pariter ut orator ſummus tenuit, in ſuis moribus. Ait autem *ſive plus, ſive minus, ſive idem præſtas, lauda vel inferiorem, vel ſuperiorem, vel parem. Superiorem, quia niſi laudandus ille, non potes ipſe laudari. Inferiorem, aut parem quia pertinet ad tuam gloriā, quàm maximū videri, quem præcedis, & æquas. Equidem omnes, qui aliquid in ſtudiis faciunt, venerari etiam mirariq; ſoleo.* Hæc eſt lex ſapientiſſi-

mæ

mæ humanitatis pro ſuo officio, honorem deferre his, in quibus amor eloquentiæ incaluit. *Jovita* ad quos tamen inquit: Fauſtine Authores cenſes Oratoris conferri ſtudium? *Fauſtinus* produxit tabulam chronologicam Romæ editam, digitoq; monſtravit Pòëtas, Rhetores, ac Oratores, erat autem tabella ſequens.

SECTIO V.

TAbula Chronologica Rhetorum Oratorum & Poetarum, Authore Joanne Dominico Muſantio Societatis JESU. Aucta verò à P. Antonio Caſini Societatis JESU atq; ſub auſpiciis Benedicti XIII. ipſiusq; juſſu Romæ Anno 1728. typis edita.

I. SÆCULUM.

Ab Anno 1mo Chriſti ad 100.

Annæus Seneca Pater, Cæcilius Collantianus, Religione Judæus, M Antonius Liberalis, Statius Surculus, ſive Urſulus, quem aliqui cum Statio Pòëta con-

confundunt, Fabius Quintilianus, *Rhethores.*

Meſsala Corvinus, Aſinius Gallus, Q. Haterius, Votienus, Montanus, Domitius Afer *Oratores.*

Philiſtion Mimographus, Ovidius, Phædrus, Perſius, Juvenalis, Silius Italicus, P. Statius Papinius, Saleſius Baſſus, Lucanus, Petronius arbiter, Valerius Flaccus, Martialis, *Pöétæ.*

Hierotheus primus Pöéta Chriſtianus, excelluit pangendis ſacris hymnis

II. SÆCULUM

Ab Anno Chriſti 100, ad 200.

Dio Pruſæus, Dio Chryſoſtomus, Aphonius, Fronto Cornelius, ſive Priſcus, Philoſophiæ ſimul & dicendi Præceptor M. Antonino Imperatori carus, *Rhetores.*

Plinius Junior ex Senioris Sorore natus, Phanetius Cretenſis, *Oratores.*

Terentianus Maurus, Meſomedes, Palladius, Rutilius Senior, Lucius Valerius Pudens, 13. annorum puer in agone capitolino victor. *Pöétæ.* E-

Eloquentia quæ in liberis populis, ſemper maximè valuit, Cæſaribus rerum potientibus, Romæ priùs à roſtris mox & à foro pene repulſa langvet

III. SECULUM
Ab Anno Chriſti 200. ad 300.

Eugamus, Porphyrius, qui & Philoſophus, Eumenius. *Rhetores*

Tacianus Rhetor & Orator Chriſtianus, S. Juſtini Martyris diſcipulus, magno cum plauſu in prima ætate oratoriam docuit, Euſebio teſte, ſed poſteá errorum Magiſter factus eſt, Encratitarum Parens. Numeriano imperat: poſita eſt Statua in Bibliotheca Palatina cum inſcriptione. *Divo Numeriano Oratori Potentiſſimo*, Vopiſcus Oppianus Cilix Halieutic: Scriptor, Nemeſianus Olympius qui de venatione ſcripſit. *Pòëtæ*

Philippus Imperator ad coercend Pòétarum licentiam, eorum nomi delet ex albo Profeſſorum 248.

IV. SÆCULUM

Ab Anno Christi 300. *ad* 400.

Minervius Budirgal. Gennadius, Musſonius, Homerius, Libanius, Marius Victorinus, Nazarius, S. Auguſtinus *Rhetores*

Eunomia Virgo Chriſtiana eloquẽtiæ laude par Patri Nazario *Euſeb:* Prohæreſius, Julianus Imper: SS. Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Gregorius Niſsenus, Hilar: Pictav: Hieronymus, Ambroſius, *Oratores*

Trifillius, Juvencus Præsbyt: S. Gregorius Nazianzenus, S. Paulinus Nolanus, Feſtus Avienus, Sympoſius, Celſus, Palladius, Rutilius Jun: S. Damaſus *Pòëtæ*

Pòëſis & eloquentia, quæ priore ſæculo jacuerunt, viſæ ſunt refloreſcere.

V. SÆCULUM

Ab Anno Christi 400. *ad* 500.

Symmachus, Auſònius Gallus, Sy- nesius, Silvius Bonus Auſonii æmulus, Marius Victor, Godelbertus Sidon,

Ap-

Appolinaris, S. Hilarius Arelat: *Rhetores & Oratores.*

Eloquentia quæ ſuperiore ſæculo florere in foro cæperat, hoc maximè ſonat in templis.

Prudentius, Proba Falconia, Syneſius Rufinus Floridus, Auſonius, Dracontius Presbyt: Claudianus, Rutilius Gallicanus, Sylvius Bonus, Cyrus Panoplita, Ruſticus Elpidius, Thèodorici Medicus *Pòétæ*

Claudianus dictus eſt ab Imperatoribus Theodoſio & Honorio, qui ſtatuam illi poſuere, prægloriosiſſimus Pòétarum.

VI. SÆCULUM

Ab Anno Christi 500. *ad* 600.

Boetii Pòéſi nihil illuſtrius habuit hoc ævum: laudatur & Helpis ejus uxor Pòétria nobilis.

M. Aurelius Caſſiodorus *Rhetor* Marinus Neapolitan: Magiſtri Proclivitā ſoluta & vincta oratione deſcripſit.

Theleſinus Ælius, Arator, Alcinus

Avi-

Avitus, Melchicus Avellonius, Merlinus Caledonius, Britannorum Vates, S. Venantius, Fortunatus Ep: Pictav: *Pòétæ*

Cosroes II. Persarum Rex Græcos scriptores & Pòétas Persice vertit *Agatias* 540.

VII. SÆCULUM

Ab Anno Christi 600. *ad* 700.

S. Columbanus Ab, Oriensius Ep: S. Eugenius Toletan: Junior, Gregorius Pisides, *Pòétæ*

Hoc sæculo eloquentia omnino defecisse in Italia visa est.

Pòésis verò apud Arabes hujus artis amantissimos maximè floruit; quare alii inter eos Caliphæ carminum gloriâ inclaruere. *Ex eruditissimo Huetio indissertat: de fict: histor:* Alcoranum Machometes Rythmicis versibus condidit, ut imperitæ multitudini gratius accideret, si vera prodit Genebrardus.

VIII. SÆCULUM

Ab Anno Christi 700. *ad* 800.

S. A-

S. Adelmus, & Iglacus *Rheto: & Poët:* Tatuvinus, Eudbertus, Mageſeus, Mordacus Scotus. *Poëtæ*

In Bædæ celebri epitaphio, ſi hoc ævo ſcriptum eſt; *Hac ſunt in foſſa, Bædæ venerabilis oſſa;* Rythmici carminis initium agnoſcimus.

Carolus M. Hadriani I. Pontif: Sepulchrum carminibus decoravit.

Hymnos cum laude ſcripſere Paulus diaconus, Varnefridi & S. Coſmas Hieroſol: Majumæ Epiſ:

Rabanus Maurus, & Hildvinus ad 9num & Robertus R. Galliæ, S. Odilo, & B. Petri Damiani ad undecimum Sæculum & decimum revocentur.

IX. SÆCULUM

Ab Anno Christi 800. *ad* 900.

Epitaphium Bonifacio 4to ſcriptum ſub Greg: 4to docet jam tum Rythmica carmina placuiſſe *videatur Papeproch:* in Propyl:

Theodulphus Ep: Aurelian: donatus eſt à Ludovico Pio, libertate, & Infulis,

fulis, Pòéſis præcipuè meritô, ſi vera ſunt, quæ aliqui ſcribunt. Vandelbertus, cujus eſt metricum Martylog: Bedæ falſo ad ſcriptum, Hugbaldus Monach: ſcripſit in laudem Calvitii, ad Carolum Calvum carmina 300. quorū omnia verba incipiebant à lit: c. Bryſtanus Croylandenſis, Heiritius, Milo, Salomon Ep, Abò, *Pòétæ.*

X. SÆCULUM

Ab Anno Chriſti 900. *ad* 1000.

Rabanus Maurus, Hilduinus Ab: *Orat: & Pòét:*

Leo 6tus cognomento ſapiens *Imperator & Orator*

Conſtantinus Porphyrog: *Pòéta*

S. Odo Cluniac: Ab: & Roſuvita ſeu Roſuvintha Sanctimonialis, Pòéſim adamârunt. B. Petrus Damiani à Muſis non abhorruit. Simeon junior ſcripſit hymnos. In Italia nullus eſt habitus, vel Oratoris, vel Pòétæ nomini par, teſte Ligonio. Herigenes Abb: Laubienſis *Pòéta.* Robert Gall: R. Her-

Hermanus Contractus, S. Odilo Ab: Cluniac: scribendis hymnis claruêre. Roberto tribuitur sequentia, qua utitur Ecclesia *Veni Sancte Spiritus*

XI. SÆCULUM

Ab Anno Christi 1000. *ad* 1100.

Michàél 7. Imper: Græcus, Musarum plus æquo amator, Gvilelmus Apulus, *Pòéta & Historicus*

Villeramus Abb: soluta & vincta numeris oratione illustravit Cantic: Alphanus Ep. Salernitan: *Orat: & Pòét:*

In Nummo Victoris II. Pontific: manus è nube clavem D. Petro porrigit cum lem: *Tu pro me navem liquisti, suscipe clavem.* Quare hoc saltem sæculo nati Latini Rythmi. R. Selō Bem Ghebiro: Hispan, Rythmicorum apud Hebræos carminum Auctor.

XII. SÆCULUM

Ab Anno Christi 1100. *ad* 1200.

Galfredus *Rhetor & Pòéta.*

Baldricus, Guntherus, Joann: Tzetzes, Goffridus Viriton, Gvillelmus Ce-

stren-

ſtrenſis, Rupertus Tuitiens, Ab: Petrus Pictavien: Joſeph. Iſcanus, Marbodus Ep. *Pòët*:

Hildebertus Ep: *Pòë*: *&* *Orat*:

Leo ob excellentiam in pangendis carminibus Rythmicis antea, inventis nomen illis fecit *Papeproch*

Pòëtæ Provinciales hoc ſæculo præcipuam Pòëſis laudem ferre cæpere. Italici Rythmi primò apud ſiculos uſurpati, mox ab illis ſequente ſæculo tranſiere ad Italos. *Petrarcha in Præf: Ep. ad Fa.*

XIII. SÆCULUM

Ab Anno Chriſti 1200. *ad* 1300.

Cyrus Prodromus Silveſter Gieraldus, Mathæus Vindocinenſis. *Pòëtæ*

Pòëtis Provincialibus hoc ævo plaudit Europa. Inter eos præcipuè laudatur Arnaldus Daniel, ex quo Dantes & Petrarcha non parū profecere. Joan: de Meung: *Gallicæ eloquentiæ Parens & Pòëta.* Stephanardus de vico mercato, Chronicon metricum edidit, Engelbertus

bertus Ab: *Pòëta.* Gvito Aretinus, Gvitus Gvinicellus, Gvidus Cavalcantius, Dantes à Majano, Brunettus Latinus, Entius Rex Sardin: *Pòëtæ Ital:* Dantes Aligerius, Pòëtarū Italicorū doctissim9.

XIV. SÆCULUM.

Ab Anno Christi 1300. *ad* 1400.

Maximus Planudes *Pòëta*,

Franciscus Petrarcha *Rhetor Orator.* Pòëta Latinus & Italus, laurea donatur in Capitolio 1341.

Tatius de Ubertis, & Franciscus Barberinus Pòëtæ Etrusci, Cinus Pistor, Cinus Rinuccunus, Montemagnus, Sacchettus, Salutatus, Manettus, Puccius *Pòët: Hetrus:* Joan: Boccatius *Rhet: & Pòëta insignis* Franciscus Petrarcha, excussis Italiæ Bibliothecis, neglectos veterum Scriptorum codices in mediū legendos protulit: Hinc Pòësis & Eloquentia apud Italos caput aliquando extulêre.

XV. SÆCULUM

Ab Anno Christi 1400. *ad* 1500.

Jovia-

Jovianus Pontanus, Hermolaus Barbarus, Nicol: de Clemangis, Petrus Crinitus, Poggius, Mernipinus, Lippius, Fontius, Benivienus, de Comitibus, Triſtodorus, Petrus de Roſenheim, Seraph: Aquilanus, Rodulphus Agnicola, Philippus experiens, Lau Medicius

Rhetores & Pöétæ

Æneas Silvius, poſtea Pius II. Orator eloquentiſſimus. Jacobus I. Scot: R. Patrii carminis gloriâ nulli ſecundus, Jacobus Vimpellingius, Angelus Politianus Leonis decimi Præceptor,

Rhetor: Philos: Pöëta.

Maximilianus I. Imperator Germaniæ Pöëmata ſcripſit.

XVI. SÆCULUM

Ab Anno Chriſti 1500. *ad* 1600.

Majoraggius, Muretus, Amaſæus, Robertellus, Beroaldus, Longolius, Perpinianus, Panigarola, Cavalcantius, Bentius, Solviatus, Landinus, Importunus, Varochius, Florentiola, Lapinus, Vincius, Victorius, Ammiratus,

Ser-

Serdonat: Paſsavantius, de Meliore, *Rhet. & Orat:* Spagnolius, Sanaſaſius, Fracoſtarius, Vida, Navagerius Amalthei Fr: Buchananus P. Lat: Ronſardꝰ Pòét: Gallus laudantur iter Italos Bojardus, Caſa, Bembus, Pulcius, Alamãnus, Millinus, Pazzii, Segnii, Strozyi Areoſtus & Taſsus Græc: & Lat: maximis pares habentur ſic & Camoes Po. Luſit. Selimus I. Turc: Imper: Pòé: colitur apud ſuos.

XVII. SÆCULUM

Ab Anno Chriſti 1600. ad 1700.

Stephonius, Strada, Voſſius Pater, Gallutius, Petiot, Petavius, Cauſinus, Oct: Ferrarius, Gradius, Sfortia Pallavicinus. C. Doridinus, Favorittus, Lottinus Davanzatus, Floretus, Cygogninus, Datus, Rinuccinus *Arch: Rhet: & Or:* Galli veram hoc ævo veteris eloquentiæ ſpeciem cæpiſſe videntur. Stephonius, Pulcharellus, Forrentius, Sarbievius, Barlæi, Grotius, Balde, Hoſchius, Dondinus, Vallius, Favoritus,

Rapinus, P. Lat: His præſidium & decus addunt Urbanus VIII. & Alex: VII. Itali P. Gvarinus. Marinus Lanſillus, Chiabrera, Teſtius, Cæſarinus, Bonaſelli, Ciampollus, Rucellajus, Jul. Roſpil: Sydus Olorum *R. P.*

XVIII. SÆCULUM
Ab Anno Chriſti 1700.

Daniel Hitecius E. Menagius, Vaſſorius, Commirius, Cóſsartius, Ravaſinus, Giannettaſius, Rogacius, Savaſtanus, Rubeus, Juvencius *Rhet: & Pòét: Latin:* Hæ quoq; literæ cultæ olim atq; auctæ à Petro Urſino nunc Benedicto XIII.

Po: Itali Vincentius à Filicaja, Lemene, Magi, Adimarus, Magalettus, Marchettus, Menzinus, Malateſta, de Totis, Rau, Deſmarais de Aquino, Berninus, Leonius, Zappius, Accoltus, Corſinianus, Giglius, Creſcimben. &c. Hiſp: Quevedo, de Solis, Calderonus, Lope de Vega, dela Torre. Servantes, Batronus, Gall: Petrus, & Thomas

mas Cornelii, Racine de Moliere &c. *Orat. Lat.* Auguſtinus Cultellinus, Acad: Apatiſt: Flor: Author, Averanius, Bergerus, Rogaccius, Juvēcius *Orat:* Sac: de la Colombiere Bourdaloue, Viera, Segnerus, Aghillar, Coreglia, Ruæus, Cheminajus, Garau, Coronell: Houdri, de Barcia E: In Clementis XI. Homiliis, in allocutionibus Conſiſtor: in Epiſt: ad Principes, in Bullario &c. præclara eloquentia & Romano digna Pontifice.

Dum jam ad calcem tabellæ hæret Jovita, en à pariete prominens ſpeculum characteres, quos cogitatione defixus, tum Fauſtinus ſcripſerat, prodit, ſed ambiguos, voluntas ad pernoſcenda ſecreta incitatiſſima, ſubdidit ingenium, quô in illa penetraret ſcripta. Rapto enim altero ſpeculo, quod ſecū geſtaverat, pervenit in ſcripturæ myſteria. Nam dum primum perverſo ſitu omnes offerebat literas, hoc ſecundum ordine diſpoſitas naturali redde-

bat, legitq; sequentem sensum. *In humaniorum literarum judicio, ad artem oratoriam viris juvenibus, auditori, materiæ congruentem respiciendum, hæc distinguenda à Pòési soluta & libera, & Grammaticorum in voces formandas potestas cognoscenda.* Pulsus interea nolæ insonuit, quo ad erudiendam juventutem evocabatur Faustinus; ille in scholam, Jovita se domum contulit.



PARS PRIMA DE INVENTIONE

Colloquium 1mum.

De Inventione ad convincendum intellectum.

DIes elabebatur, nox imminebat, Jovitam ambigua cogitatio vexabat, quô nam modô in penetralia mentis Faustini illaberetur, extorqueretq; tam maturæ artis Oratoriæ, quàm umbratilis notitiam, demum quô fato contra

Pòésim

Pòéſim ac Grammaticam cenſura O-ratorum impingeret: cum timor, ne in aſtutiam hanc deveniſſet Fauſtinus, de-ſperare cogebat rem; pollicebatur quæ-dam ſuperflua fiducia, ad vota eventū. Aliqua itaq; ex libro cenſorum Gor-gia, Barclaio, cæteriſq; Satyris & Criti-cis, memoriæ mandavit, aliqua chartis intulit, ut anxietatem in rebus literari-is, amici judició exueret. Nox Jovitæ brevem ſomnum depoſuit, lux oborta, tanto gratior, quantò quies tædioſior fuerat. Sollicitudinem violentam ſo-lata campana ſcholæ, brevi ad feriantē à ſcholis diem Profeſſorem emiſsura: rupit ſtudia, recreationi præfinitum tempus. Ut arbores vegetationibûs, ſic motu corporis creſcunt ingenia, ad campum Fauſtinus deſcendit, Jovita ſe illi junxit ſocium. Ubi portam ur-bis longiùs prætervecti, illico ſerena Cæli facies, nubibûs ſe ſe obduxerat: fulgur frequentius repetitum ac toni-tru, grandi cælorum fragore illos per-

terruit: nimbus liberalior obortus. Fugâ in ſylvam captatâ, uterq; tempeſtati ſe ſe ſubduxerat; Et inde ad rudera antiquioris fori, quod ibi poſt breve loci intervallum, oculos incurrebat ſermonem convertit. Erat ibi quondam juſtitiæ veteris palatium, aut certè Oratorum publicum domicilium, quod maximè ſtatua Ciceroni ſimillima, ob longo collo, actione dicentis informata indicabat. En Jovita (*inquit Fauſtinus*) Orator perfectiſſimus, Tullius, cujus ſermo ſummam vim ab inveniendo ducit. *Jovita.* Vellem aliquid hac de re audire. *Fauſtinus.* Oratoris partes ſunt, Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, juncta ſi opus fuerit memoriæ & actioni, tamen primum genera dicendi abſolvenda.

Sectio VI.

Genus dicendi, eſt quadruplex, & aliæ diviſiones generum dicendi.

EST autem genus dicendi 4plex. Demon-

monstrativum, Deliberativum, Judiciale, ac Didascalicum ex Bulæo Parisiensi Professore: 1mum, honestatem, 2dum hanc vel utilitatem, 3tium justitiam, 4tum solam veritatem tuetur, soletq́; ea persequi, quæ contemplationi non operi sunt idonea. In didascalico sunt Platonis, ac Aristotelis Philosophia, Ciceronis Tusculanæ Academicæq́; quæstiones ac Historia, explicatio Authorum, Symbolorum, Hieroglyphicorum. Est igitur, Judiciale genus, ut vir consularis, modestè indutus, domi habitans. Deliberativum ut in comitiis Varsaviensibus splendido maturoq́; cultu conspicuus, Demonstrativum ut convivia festivitatemq́; Regiam augens splendidissimo vestium apparatu: 4tum ut à populo venerandus. Rursus in hoc quolibet quadruplici genere, potest esse materia vel grandis vel mediocris vel tenuis. Igitur apparatus verborum, & figurarum seu schematum, erit rei peridoneus. Nam juxta

juxta Ciceronem lib: de Orat: ad Brut: Jlle Orator optimus ac perfectus est: *qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè potest dicere.* Cui assentitur Aristoteles lib: 3. Rh: C. 13. *Erit autem rebus conveniens, si neq; de rebus amplissimis tenuiter & summissè, neq; de tenuibus rebus graviter & amplè quis dixerit.*

At in ipsa materia hac humili mediocri & sublimi non omnia sunt paria & partes ipsæ orationis, non eandem vim habent, neq; in æquali constitutæ sunt: partium itaq; diversitati, ac differentiæ rerum occurrenti, apparatum proportionatum, adhibeat excellens Orator. In Judiciale enim sæpe influit Epidicticum, sæpe Deliberativum, & vix non semper Didascalicum: quod idē de cæteris dicendi generibus censendum, cùm quadam societate ac necessitate secum conjuncta sunt.

Arist: divis: Aristoteli alia placuit ornamentorum ad genus dicendi accommo-

modatio. Primas enim Demonſtrativo, ſecundas Judiciali, tertias Deliberativo partes defert. Lib: enim 3. Rh: Ca. 32. textu 287 Oratorem Conſulem umbratili picturæ comparat; in qua nihil enucleatius pingitur, ſed ruditer, vultûs quædam forma proponitur. Nam ut bene Majoragius Commentator. *In deliberatione quæ nimis ſubtiliter enucleantur, & minutè diſputantur, à turba non percipiuntur, quæ verò populariter ac ſimpliciter efferuntur, cum amplo & elato vocis ſono, ſæpe cum plauſu excipiuntur. Itaq; tam in pictura, quàm in deliberatione, ea, quæ fiunt exquiſitè, apud populum ſupervacanea & longe deteriora videntur.* Jam (textu 288. Ariſtoteles) *in Judiciali genere debet exquiſitius eſſe genus dicendi, quodſi coram uno tantum Judice res agatur, tanto magis elaborandum eſt. Demonſtrativi igitur generis Oratio maximè idonea eſt adſcribendum, quoniam ejus officium eſt ut legatur, proximaq; ab ea judicialis eſt.* Unde hinc altera diviſio

ſtyli

ſtyli oboritur, ſplendidior enim oratio ſit oportet, cum ſcribitur, parcior in ornamentis, dum ore profertur. Ubi contentio, peroratio, vox ſcilicet ac geſtus multū venuſtatis confert. Hoc vult Ariſt: Cap. 31. Ibidem. *Jllud verò non oportet ignorare in uno quoq; genere, diverſam eſſe locutionem: neq; enim eadem eſt locutio, quâ aliquid ſcribimus, & quâ in contentionibus utimur, neq; ea quæ ad deliberationes pertinet, & quâ judicia tractantur.* Unde textu 2,5. *Dicendi genus quo aliquid ſcribimus eſſe debet exquiſitiſſimum: quo verò in contentionibus utimur, ad actionem aptiſſimum.* Ex quo ſequitur, aliam elocutionem, advocare debet Orator ad ſcribendum, aliam ad dicendum, quæ animatur ipſa peroratione, quâ extinctâ erit dictio exſanguis & horrida, oportet autem ut ſit venuſta oratio ſcripta. Ita enim Ariſtot: lib: 3. Rh. c. 4. *Quæ ſcriptæ ſunt orationes magis ornatu ipſo verborum, quā ſententiis valent.* Adde Auditorem

esse normam & mensuram quandoque ornandi styli. Unde Arist. lib. 3. Rh. Cap. 2. rectè ait de genere vario dicendi: *verùm hæc ex opinione pendent, & auditoris gratiâ quæruntur.*

Sectio 7ma.

Omnia Ciceronis præcepta de Rhetorica maximè spectant Judicia.

ANtequam autem ex Cicerone reliquisque de Inventione adferemus, obscura quorundam opinio dissipanda. Multi hærent Ciceronis de Rhetorica judicio, incauti tamen; putant enim Tullii mentem, ad omnem Oratoris materiam, suis præceptionibûs protensam. At mare hoc ingens tranare noluit: hæsit in amplissimo stagno; quod quidem, ita emensus est, ut ad portũ eloquentiæ mirificè pervenerit. Cicero enim unicum fere genus Judiciale, metam suorum præceptorum posuit: huc omnem contentionem, artis suæ,

con-

contulit, cætera dicendi genera eatenus corrivando in forum, quatenus forensis oratio amplior & fusior ac fluidior videretur. Fidē exhibent omnia ejus volumina: audi in Topica ad Trebatium. *At cum aliquid de utilitate, honestate, æquitate differit, deq; iis rebus, quæ sunt contrariæ, incurrunt status aut juris, aut nominis: quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari id potest factū esse quod laudetur: aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit, aut omnino non esse laudabile, quod non recte, non jure factum sit. Quibus omnibûs generibûs usus est nimis imprudenter Cæsar contra Catonem meū.* Imo *in Orator: ad Brut* clare cætera dicendi genera à suis rejicit præceptis. *Remotîs igitur reliquis generibus, unum selegimus, hoc quod in caussis foroq; versatur, de quo diceremus. Ergo in aliis & in historia, & in eo quod appellamus Epidicticon, placet omnia dici Isocrateo, Theopompeoq; more, illa circumscriptione ambituq; ut tanquam in orbe inclusa*

currat

currat oratio, quo ad insistat in singulis absolutisq; sententiis. Itaq; posteaquam nata est hæc vel circumscriptio, vel comprehensio, nemo, qui esset in aliquo numero, scripsit orationem generis ejus, quod esset ad delectationem comparatum, remotumq; à judiciis forensiq; certamine, quin redigeret fere omnes in quadrum, numerumq; sententias. Nam cum is sit Auditor qui non vereatur ne compositæ orationis insidiis sua fides attentetur, gratiam quoq; habet Oratori, voluptati aurium servienti. Genus autem hoc neq; totum assumendum est ad causas forenses, neq; omnino repudiandum. Igitur cum seligit causas solùm forenses nihil de laudibus, panegyricis amplum separatumq; (quæ genere Epidictico continentur) censuit. Sed hoc dicendi genus ad forense duellum reduxit, non alio more & stylo nisi Isocrateo Theopompeoq; usus in 2do accusationis de Siciliæ laude, in 4to verò de Ennensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ. Item Isocraticus

ticus eſt Cicero, in Senatu de Conſulatu, ac omnibus ſuis perorationibus, de quibus idem ibidem: *Id nos fortaſſe non perfecimus, conati quidem ſæpiſſimè ſumus, quod plurimis locis perorationes noſtræ, voluiſſe nos atq; animo contendiſſe declarant.* Jam verò lib. de optimo genere Oratorum, ignorantiam, fere omnis Atticæ eloquentiæ qualis fuerat Iſocratea, Theopompeaq; ſibi adſtruit: ex quo colligi poteſt quod in hoc charactere fuit imperfectus. *Unum enim cum ſit genus, id quale ſit quærimus, eſt autem tale, quale floruit Athenis, ex quo Atticorum Oratorum, ipſa vis ignota eſt* (bene nota) *nota gloria. Nam alterum multi viderunt, vitioſi nihil apud eos, alterum pauci, laudabilia eſſe multa:* quod utrumq; commendat Atticos, ut adamantem; ſive in illo multi, vitioſi nihil videant; ſive pauci, laudabilia & pretioſa multa. At alicubi etiam in meſſem Epidicticam, miſit Tullius ſuam falcem, ſed quam laxè. Dum enim laudis

laudis apertiora, ſuo filio tradit fundamenta, quem ut pote cribroſi capitis, juxta Gviniſium, ſi non in foro, ſaltem in exornationibus rerum, voluit eſſe eloquentem, ita hoc genus Epidicticū enucleat lib. Part: *Quoniam in his cauſis, omnis ratio fere ad voluptatem auditoris & delectationem refertur, utendum erit, hîs in oratione ſingulorum verborum inſignibûs, quæ habent plurimum ſuavitatis, id eſt ut factîs verbîs aut vetuſtîs aut translatîs frequenter utamur*, quô quid peſtilentiùs? quàm recenſitîs verbîs *frequentiùs* uti? Judicia itaq; ſunt, quo omnia ſua refert præcepta Tullius, quem ſecutus quoq; Tacit. aut Quinct: dialogo de cauſis corruptæ eloquentiæ, huc omnem ſui operis vim corrivat.

Sectio 8va.

Vis Oratoria à judiciis ablegata eſt.

AST jam idem exactum ac Oratorium dicendi genus ut cum Tullio conſurrexit, ita cum Tullio obmutuit.

Nemo

Nemó enim ab illius ævo parem gloriâ consecutus est in judiciis præter Plinium, & alios paucissimos, sed alio dicendi genere, Atticô potiùs quam Romano, Imo ne Atticè quidèm fora ac Regnorum Tribunalia personant. Date fidem Eumenio de instaurandis scholis Galliæ, in Justitiæ palatio perorandi, qui postquam dixerat. *Ego qui ab ineunte adolescentia, usq; in hanc diem nunquam in isto loco dixerim, & quantulumcunq; istud, quod labore ac diligentia videor consecutus, exercere privatim, quàm in foro jactare maluerim, nunc demum serô quodam tyrociniô ad Tribunal aspirem.* Superaddit paulo infra. *Neq; enim tantâ negligentiâ, aut confidentiâ, teneor ut nesciam, quanta sit, inter hanc aciem fori, & n stra illa secreta studiorum exercitia, di- v rsitas. Ibi armantur ingenia, hic præliatur: Ibi prælusio, hic pugna committitur, hic plerumq; velut sudibus, & saxis: illic semper telis splendentibus dimicatur: hic sudore & quasi pulvere sordidus; illic insignis*

or-

ornatu laudatur Orator. Ut si uterq; experiundi causa officia commutent, alium quidem tubarum sonus & strepitus, alium triumphi deterreat.

Sectio 9na.

Quæ Causidico scitu sunt necessaria ex mente Ciceronis.

DUm autem Faustinus versaretur in hac commentatione, vir acri ingenio, non tamen artium liberalium cultura probè insignis supervenit: Logolegiū se dicebat causidicum, gratè hospes in Philosophico hospitio, auræ patentis domicilio, exceptus à Faustino; mutuaq; officii significatio exhibita. Vestis illi erat, qualem Saguntini dum ab Annibale caperentur, nec longè diffluens, nec nimium succisa, peregrinū hominem indicabat, à Polonis dissentientem, exteris conformem, non galerus caput tegebat, nec patrius noster pileus; nullus cincinnus luxuriabat ca-

pite; neglectus pilus, ſingulare quidpiam, dignumq́ tamen virum pollicebatur; tum ille: levioris auræ beneficiô, veſtra colloquia in aurem deferentis, vos Oratores intelligo, tantò prodigioſius, quod de Cicerone contentionem ageretis. Non eſt jam veſter Tullius, ab exedris detruſus, in judicia raptus, exilium à vobis paſsus, agit pro domo ſua, in hac perantiqua Curia Oratorem: ejus enim ſtylus denotat, ubi tribunalia peraguntur. *Fauſtinus* Imitaris Ciceronem? *Logoleg*: Profectò: *Fauſtinus*: quoad rerum peritiam earumq́ harmonicam collocationem? *Logoleg*: Quàm maximè. *Fauſtin:* Perſpectum ne eſt tibi Patrium legum inſtitutum? *Logol*: ſatis probè, *Fauſti:* calles Dialecticam? *Logol:* neutiquam. *Fauſtin:* multò minus reliqua quæ Ciceronianam non dico, commendant in judiciis artem, ſed ſtabiliunt. Igitur non in ſinu hujus Parentis procreatus es. *Majus eſt*

hoc (id est eloquentia forensis ait Cicero lib: de Orat:) *quiddam, quàm homines opinantur, ex pluribus artibus studiisq; collectum.* Id autem absq; Philosophiæ adminiculo haberi non potest. At si sequi contendis vestigia Ciceronis, quæ de se ipso lib: de claris Orat: perhibuit ausculta. *Nos ut causas & privatas & publicas adire cæpimus, non ut in foro disceremus, quod plerig; fecerunt, sed ut quantum nos efficere potuissemus, docti in forum veniremus. Eodem tempore Moloni: qui Rhodo venerat dedimus operam. Et cum essem biennium in causis versatus, etiam in foro celebratum nomen meum esset, Româ sum profectus. Cum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiæ nobilissimo, & prudentissimo Philosopho, fui: studiumq; Philosophiæ nunquam intermissum, à primaq; adolescentia cultum & semper auctum, hoc rursus summo auctore & doctore renovavi: Eodem tamen tempore, Athenis apud Demetrium Syrum veterem & non ignobilem dicendi*

Magiſtrum, ſtudiosè exerceri ſolebam, poſt à me tota Aſia peragrata eſt, & cum ſummis quidem Oratoribus, quibus cum exercebar, ipſis lubentibus, quorum erat Princeps Menippus Stratonicenſis, meô judiciô totâ Aſiâ illis temporibus diſertiſſimus, & ſi nihil habere moleſtiarum nec ineptiarũ, Atticorum eſt, hic Orator in illis rectè numerari poteſt. Aſſiduiſſimè autem mecum fuit Dioniſius Magnes, erat autem Æſchylus, Gnidius, Adramitenus, Xenocles, hi tum in Aſiâ Rhetorum Principes numerabantur, quibus non contentus Rhodum veni, ad eundem quem Romæ audiveram Molonem applicavi, tum actorem in veris cauſis, ſcriptoremq́; præſtantiſſimum, tum in notandis animadvertendisq́; vitiis, & inſtituendo docendoq́; prudentiſſimum. Ita recepi me biennio, poſt non modo exercitatior, ſed propè mutatus. Demum Tullius jam à dicendi officio armîs prohibitus, ipſe forenſibus negotiis, ſuam exemit facundiam. *Tu tamen, licetſi curſum ingenii tui Brute, premit hæc importuna clades civitatis*

vitatis contine te, in tuis perennibus studiis, & effice id quod jam prope modum vel plane potiùs effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. Cum itaq; nulla tibi Philosophiæ cura, nullum Dialecticæ studium, parva artis oratoriæ exercitatio, antiquioris memoriæ nulla peritia, imo cum ne *Physicorum* quidem ignarum, vult hic Oratorem Cicero, ipseq;, ut verbis ejus utar, *Mare quoddam scientiarum* vestri fori causa tranaverit, maximè cum Cicero se à stuba vindicat, minimè Ciceronem parentem tuæ eloquentiæ recogites. At *Logol*: argumentis ex ipso Cicerone adductis temerè dissensit, quare ut concluderemus sermonem, Tullii statuam in patrociniū Logolegio cessimus: abscesserant enim statuæ digiti, atq; multa formæ vestigia, corporis structura desiderabat: oculos puerorum insolentia violavit, ac saxum vetustate confectum, à medio capite ad cingulum, parte sinistrá, rimam prægrādē egit.

Sectio 10ma.

Qui Authores legendi in Demonstrativo & Deliberativo genere.

JOvita. Cum itaq; tanta Ciceronis facundia, jam in foro obmutuit, quo illius omnia collineabant præcepta, quem tu absolutissimam Oratorū censes ideam? Si exempla petis (inquit Faustinus) censeo Plinium Novocomensem, si ejus literaturæ omnia exstarent monumenta omnis enim generis complexus facundiam: (modo te præcautum faciat, Gallutius, qui in Plinii nonullis locis, duriusculas translationes legit] in Trajani panegyri augustus ac Isocraticus: in Epistolis elegans: in historia pressus ac svavis, in judiciis acer, in consiliis admirandus, ut vita ejus & epistolæ perhibent: sed quia *horum* (utar verbis Gallutii) de alio Plinio loquentis *ex naufragio nomina tantum enatarunt*, proinde ceu ex universo prato flores,

flores, sic ex porrecta tibi tabella Oratores seligendi. Attamen in deliberationibus optima norma sunt, quæ passim in Livio, insperſæ orationes: in exornationibus verò prostant eximia Oratorum monumenta, Latini Pacati Theodosio: Constantino Augusto Constantii filio Galli aut cujusdam alterius, Mamertini gratiarũ actio pro consulatu Juliano Imperatori; vel si Romanus, alicui naturæ dissentit character, Sancti Ennodii Theodorico; hujus enim memoriâ, in exilium abiit copia Tulliana. His adde cæteros, qui passim Typographorum industriâ, unô compinguntur libello: in quibus has quoq; leges laudes Imperatoribus datas, quòd non sunt mentiti, quòd terram coluerint, ligone mutantes victoriarum ferrum. At si præceptiones exiguntur, absoluta fere omnium generum dicendi norma, in compendio Soarius: fusè & amplè Palatium Reginæ eloquentiæ, Patrum Moguntinorum
Soc:

Soc: JESU est. Ibi non modo stylum in omni genere, verùm & prudentiam Oratoris addisces, sine qua difficile manum ad stylum movet Orator.

Itaq; (*intulit Jovita*) si Cicero unicè se ad genus Judiciale adstrinxit, & prætereà tot clarissima, in aliis, dicendi monumenta prostant, frustra quidam & cæci, Tullii zelotypi, hunc unum non modo nobis objiciunt, sed ferè cogunt, aut non sequaces totîs rostrîs deridènt superfluè.

Sectio II.

Lectio Ciceronis commendatur.

FAustin: Si aliunde non est quispiam adstrictus Tullio, jugum hoc gratis imponitur; & in deridendis æmulationibus cæterorum Authorū impudens temeritas est. Tamen sic libero Oratori non modo consultum esse dico, sed & honestissimum, Ciceronem stylò consequi. Ingenium enim Tullii summa rerum peritia, ac in judiciis quidē magna

magna ſtyli perfectio, hæc tria illum unum nobis commendatum reddunt. Ac ut primum abſolvam: Ingenium tantum eſt, quantum in ſectatoribus Tullii difficillimè poteſt comperiri. Una enim periodus, nec amplô effuſa ambitu ſed parvô circumducta gyrô, ſex ſeptemq; rationibûs imbuta, quandoq; occurrit: quarum quælibet, ſi cæteris ejusdem ſequacibus, occurreret, in amplam orationis partem, inflaretur. Plures ſunt ſectatores, qui cum ubertatem ingenii Tulliani conſequi non poſſunt, copiam tantum conſectantur, ſatis contenti, ſi ſtramine auguſta impleant horrea, dum frumento nequeunt. Invenias in nonnullis, ſenſus ceu philacteria diſtendi, vaſtôq; periodi domiciliô, rationem exiguam, ceu paſſerculum habitare in grandi tecto. At Cicero mirè in rationibus conglobandis ſpiſſus, quandoq; illi omnis Philoſophiæ morum, theſaurus, unâ comprehenſione concluditur. Sic ſunt
aliqui

aliqui temerarii, qui ſtaturâ corporis, non animô ſe ſe committunt Macedoni, ſatis gloriæ ducentes, ſi magnæ periodi ſæpe aut ſæpiſſimè (vetet quamvis easdem ipſe Cicero) in illorum prolixis inflatisq; orationibus videantur, ut ſic gratiæ captandæ cauſa, ſe Ciceronianos jactent. Alterum eſt quod Tullium effert, ſcientiarum peritia. Ita Gviniſius Alloc: 3. *Marcus Cicero capaciore quadam animi comprehenſione, quàm plurimas artes ita ſimul complexus eſt, ut ad intimum: cujusq; deſcenderet, videretq; quid ultimum: neq; facultates ingenuas, de facie ſolum novit, ut pleriq; ſed ad pectus, ad medullam, ad cor usq; diſciplinarum omnium intelligentiâ penetravit,* Et inferius. *Tullius ut omnium prope rerum novit articulos, ſic earum quaſi pompam explicavit: ut multa in ejus criptis, occupaverint locum diligenter expedita, reſectaq; rationis ad vivum ex iis, quæ nova cenſentur hoc tempore, & non modo apud Philoſophos, ſed etiam apud*
Theo-

Theologos, constanter ac mordicus disputantur in scholis. Demum tanta fuerat ingenii fæcunditate, ut omnium Theologorum, qui Ciceroni ætate præiverant, complexus sit sancita, adeoq́ ut omnem scientiarum antiquitatem, veluti in nucleum Iliadem Homeri, in suas quæstiones Tusculanas & Academicas, in fines bonorum & malorum, in librũ de natura Deorum, cæterosq́ cõégerit, æque dilucidè ac faciliter: & ubi cæteri erravere multum, ipse parũ à verò aberrare visus. imus ille falsum summumq́ Deum Jovem, festiva oratione pro Domo sua coram Pontificibus irrisit audacter. *Ut ad ultimum* descendam, ea est forensium certaminum vis eloquendi in eo, ut omnibus Romanæ gentis causidicis palmam sustulerit, Græcis præripuerit, cùm suis orationibus conclusionem addendã putavit, quod minimè constitutum, in suis causis habebant, eo temporis Asiatici Oratores. Tot itaq́ ornamentis cumu-

mulatus Cicero, ad ſui lectionem invitat cunctos, maximè cùm Puteanus ad id trahat.

Sit imitatio nõ unius tantũ ſed unius potiſſimum Ciceronis, è quo ſine periculo ullo electionis decerpere omnia atq; libare licet. Sed in imitando opus eſt prudentiâ, vis enim illa fori & vehementia Tulliana, in deliberationibus ſæpe, in exornationibus ſemper, inſania eſt.

At quoniam de eloquentia perfecta virorum, commentari cæpimus, ac vidimus quibus ſtudiis hanc ſibi in foro comparaverit Cicero, ſupereſt examinandum, quid ad perfecti Oratoris Majeſtatẽ requiratur. *Poſita memoria tanquam fundamento, actione tanquam lumine*, ut ait Cicero, tribus baſibus hanc inniti nemo dubitat. Inventioni Diſpoſitioni, Elocutioni.



Col-

Colloquium Secundum.

De Fontibus Inventionis seu Encyclopædia.

Sectio 12.

Orator perfectus omnes scientias tenere debet.

FAustinus. Encyclopædia Oratori, id est omnes scientiæ, non modo debet esse prælibata, sed intimè cognita. Res hæc ut creditu difficilis ita Authoritate Oratorum argumentisq́ fulcienda. Hanc explicat Puteanus, imò ingerit eloquenti. orat: 2. *Eloquentia quædam quasi sapientia, id est scientiarum omnium, artiumq́: orbis, græcè Encyclopædia appellari potest. Priscis enim illis temporibûs, quibûs rerum cognitio nata est, hæc una scientia existimabatur, scientias omnes possidere. Postquam verò paulatim hominum genus proclive, à labore ad fastum, luxumq́; iret, vel certè latiûs hæ suos terminos propagarent, nimisq́; arduum videretur in universo genere singulos elaborare, secerni scientiæ cæperunt, & tanquam ex* *aliquo*

aliquo monte rivorum, ita ex hoc ſapientiæ jugo ſunt doctrinarum divortia facta, quæ in unum tandem eloquentiæ pelagus, receptæ, denuo uniuntur. Igitur in caput Oratoris tanquam in mare omne flumen, omnis ſcientia influat neceſſe eſt. Pergit idem Puteanus. *Etenim hæc illa ſtudia velut florida quædam prata ſunt, & varietate conſtant. Quot iſthic flores, hîc artes, quod iſthic herbæ, hìc diſciplinæ. Quarum omnium radices indagandæ Oratori ſunt, ſucci exprimendi, vis & ratio edocenda, ſi modo ut hortorum experimenta, ad corporis uſum, ſic ſtudiorum exercitia ad animi cultum referre nitatur. Priſco illo ævo, cum in honore & cultu artes ingenuæ eſſent, non tantum purâ ac lætâ eloquentiâ florebant, ſed ſpoliatum omni motu, ac cupidine animum, virtute quiſq; induebat: nunc verò in ludibrio literæ ſunt.* Ex dictis perſpectum eſt, quod Oratori omnes artes radicitùs pernoſcendæ, quæ cum nunc ſint in ludibrio, Rhetorica in faſtidio eſt. Jam quid nobis artes

libe-

liberales important, quasq; ſcientias, non ita difficile enodare. Clementi Alexandrino illæ ſunt, quæ liberis non ſervis in diſcendo erant liberæ, quarum numerum ſubintrant, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Geometria, Architectura Muſica, At reliqui, teſte Tarquinio, etiam ipſam ſapientiam & ſapientiæ partes, in quibus quies eſſet, huc referre auſi ſunt. Galenus Jurisprudentiam & medicinam in artibus liberalibus collocat. Poſſidonius Panætii diſcipulus, omnes Philoſophiæ formas, tum eam, cujus cura, & morũ emendatio & virtus animi eſt, liberaliſſimam nominat: ſic dictam, quod vitiis liberaret mortales, & ideo ad artes liberales Theologia, ſcientiaq; perfectionis Chriſtianæ referenda eſt. Si itaq; omnes artes liberales, juxta Puteanum, uniuntur ſibi, in eloquentiæ pelago, neceſſum erit ut qui ad perfecti Oratoris eluctatur dignitatem, illas omnes unus complectatur. Cum enim

Ora-

Orator teste Soario & ipsa experientia, nulli materiæ præfinitæ inhæreat, sed rebus omnibus, quæ mentem incurrunt, svadæ svavitatem contribuit, cogitur ut omnia cum omnibus, in sinũ suæ mentis, immitat.

Jam id sermonis nostri institutum, comprobemus ipsîs, quorum eloquentia orbi admiranda fuerat, exemplîs Oratorum æquè Græcorum ac Latinorum, seu Asiæ & Europæ. Nam implicitô argumentô Livius in historia, & Cicero in orationibus, Græciam sive Atticam terram Asiæ confiniis recludi perhibent.

Asianos Oratores hosce miramur, Empedoclem, Gorgiam Leontinum, Lysiam, Socratem, Demosthenem, hujusq; æmulum Æschinem, Platonem, melleum, ejusq; Auditores Aristotelẽ & Isocratem, & postremi discipulos Ephorum & Theopompum: Et inter verò Europeos Catonem, Ciceronem, Cæsarem, Varronem, Augustinum, &c.

in

in quibus inſignis Eloquentiæ vis, collocata fuerat, nemo tamen horum, qui hunc ſapientiæ orbem non cucurrit.

Sectio 13.

Græci Oratores excellentiſſimi omnes ſcientias complexi ſunt.

EMpedocles (ait Tarqu.) quem Ariſtoteles, Authorem & Parentem Rhetoricæ facit, dicendi facultatem ita tenuiſſe fertur, ut eo nullus haberetur eloquentior, ita Pòéticam, ut nemo jucundior, ita Phyſicam, & naturalem magiam, ut ventos, cùm vellet, excitaret ſalubres, peſtilentes depelleret, ita callidè muſicam, ut ſcelus anhelantes & ſtrictîs incurrentes in hoſtem gladiis, juvenes, fidibûs averteret, & vocis ſvavitate reprehenſos, ad manſvetudinē revocaret à cæde.

De hoc Timæus in lib: Hiſt: duo deviceſimo perhibet ſingularem mortalibus attuliſſe admirationem. Nam cū Etheſiæ nimis ſævirent, turres quatefacerent, corrumperent ſegetes, arbores ac ſylvas extirparent, aliquot

asinos deglubi fecerat, & utres è pellibus factos, in collibus atq; altissimis montium verticibus, ad comprimendos illos vehementissimos ventorum flatus, suspendi ac collocari jussit, quorum vim subito cum repressit, vocatus est Kolosanemas, id est: ventorum depulsor. Miram enim habent venti, cum utribus simultatem.

Hujus Empedoclis, Gorgias Leontinus variam præceptoris disciplinam, sic hauserat, ut subitam illam (ait Tarq:) *improvisamq; dicendi rationem, quæ consecutis temporibus appellata est à dicendi Magistris, extemporalitas, instituisse dicatur. Ac primus fuisse, qui poscere in conventu doctissimorum hominum auderet, qua quisq; de re vellet audire, de omnibus enim quæ caderent in quæstionem, copiosissimè se dicturum esse, repentè ac de improviso profitebatur.* Hic Ciceroni præivit quadringentis fere annis, numerum Oratorium concinnamq; primus orationem effecit quamvis id non intellexit. Antitheta

mus invenit, laudum ac vituperationum locos conſcripſit: auream ſtatuam accepit Delphis: ad centum & ſeptem annos, placidiſſimam ſenectutem produxit; neq; unquam in ſuo ſtudio atq; opere ceſſavit. Nunquam in foro certavit, aliis tamen cauſarum tutoribus, arma ſubminiſtrabat: quorum, dum actio vacillaret, citatus aliquoties ab Areopago, ut rationem ſuæ ſvadæ redderet, per alios etiam in judiciis facundus eſſe noluit.

Socrates licet nulla eloquentiæ monumenta poſteritati mandavit, licet inornatus, in Oratorum tamen collegio ponendus: Uſus inductionibus ad firmandam univerſalem ſæpe, ac fere primus uſus. Contemnens orationē Lyſiæ, ad ſui tutelam comparatam, pro ſe dixit, & cauſam amiſit Totum id ex Cicerone de claris Oratoribus. *Socrates cum omnium ſapientiſſimus ſanctiſſimusq; vixiſſet, ita in judicio capitis, pro ſe ipſo dixit, ut non ſupplex aut reus, ſed*

Magister aut Dominus videretur esse judicum. Quin etiam cum ei scriptam orationem disertissimus Orator Lysias attulisset, quam, si ei videretur, edisceret, ut ea pro se in judicio uteretur, non invitus legit, & commodè scriptam esse dixit, sed inquit ùt si mihi calceos Sycionios attulisses, non uterer, quàmvis essent habiles, & apti ad pedem, quia non essent viriles. Sic illam orationē, disertam sibi & Oratoriam videri, fortem & virilem non videri. Ergo ille quoq; damnatus est, neq; solum primîs sententiis, sed etiam illîs, quas iterum legibus ferre debebant. Capite itaq; damnatus est ut ait Cicero. *Ob nullam culpam, nisi ob dicendi inscientiam*, sive severam, & ab humanitate nimis alienam orationem. Nam lepores & decorum procul ab illo pulsa. Hic tamen & si incultus Orator, quantis imbutus fuit scientiis, Plato testis, qui, hunc, omnibus fere suis dialogis, quamcunq; veritatem disputatione versantibus, immiserat.

Quoniam *Lysiæ*, ars dicendi ex iis, quæ

quæ de Socrate retulimus, patet, dubitare non poſſumus, quin multis artibus, ac præcipuè Philoſophiâ non leviter tinctus fuerat. Neq; enim abſq; horum adminiculo, viro eruditiſſimo, ac in foro verſato Socrati opem ferre, citra temeritatem attentaſſet, niſi ultra ſvadæ gratiam, magnum ingenium prætuliſſet Lyſias. Periclis ſuccum in orationibus habere dicitur à Cic: lib: de Orat: ſed filo paulo uberiore fuerat. *Fuit Lyſias* (inquit Cic: de Clar: Orat:] *ipſe quidem in cauſis forenſibus non verſatus, ſed egregiè ſubtilis ſcriptor, atq; elegans, quem jam propè audeas Oratorem perfectum dicere, nam planè quidem perfectus eſt & cui nihil deſit.* Si Orator perfectus, igitur multis magnisq; ſcientiis imbutus.

Plato vero quàm articulatim Encyclopædiam perſpectam habuit? Ita Divinâ ſimul præſtitit facundiâ, ut ejus Oratio, mel Platonis vulgò dicatur, cui infanti, apes augures futuræ elo-

quentiæ, in ore favū finxerant. Hunc ut Philoſophus Cicero compellabat DEUS ille noſter: Philoſophis Græciæ pervulgatum fuerat: Jovem ſi Græcè loquatur, ſicut Plato locuturū. Et ſi in Gorgia Rhetores perſequitur: tamen cenſendum, quod alios quospiam aut gratis. Quanquàm ea eſt ubiq́ Platoni conſvetudo, ut actores affirmans & negans, ceu adverſæ acies concurrant, ac in extremo ſuſpendant victoriam.

Ariſtoteles Platonis diſcipulus, ſpecies Platonicas ſuſtulit: & quis ſit cognitione Philoſophica, omnes qui Peripatetici ſunt teſtantur. Librum de Rhetorica evigilavit, quis fuèrit eloquentia ex Alexandri Magni facundia (de qua Curt:) liquet. æmulatione Iſocratis, juventutem ad ſe alliciebat, maximèq́ cogebat, ab hypotheſi ad Theſim aſcendere: ita de hoc ad Brutum Orat: Tullius. *In hàc Ariſtoteles, adoleſcentes, non ad Philoſophorum morem,*

tenui-

tenuiter disserendi, sed ad copiam Rhetorū, in utramq; partem, ut ornatiùs, ut uberiùs dici posset, exercuit.

Isocrates alter Platonis discipulus, non modò Philosophicam Theologicamq; facultatem, verùm & Divinam oris gratiam á suo imbibit Magistro. Hunc licet in Phædro exagitator omniū Rhetorum Plato, carpit, tamen in illis quæ vituperii causâ, in eum evomuit, sunt, quæ & scientiam, & eloquentiam ejusdem commendent. De hoc Cic: ita ad Brut: *Qui Isocratem non diligunt, unà cum Platone errare patiantur.* Jam idem lib: de Orator: *Ecce tibi exortus est Isocrates, è cujus ludo, tanquam ex equo Trojano, meri Principes exierunt, sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt. Ejus domus* (de clar: Orat: Cic:) *cunctæ Græciæ, quasi ludus quidam patuit, atq; officina dicendi: Magnus Orator & perfectus Magister, quāquam forensi luce caruit, intraq; parietes, aluit eam gloriam: primus intellexit etiam* in

in soluta Oratione, dum versum effugeres, modum tamen & numerum quendam oportere servari. Scripsit Panathenaicum anno ætatis suæ 94. non ad judiciorũ certamen, sed aurium voluptatem referendo: Ibidem fatetur, quod studiosè sententiarum concinnitatem, Anthitheta, similiter desinentia, ex industria, palàm, non verò quasi ex insidiis consectatus sit. Mortuus Anno 99. Hunc Cicero, in alienis à forensi, dicendi generibus normam, ac exemplum proponit.

Theopompus altera dicendi in consiliis & laudibus forma, & imago, à Cicerone exhibita, Isocratis discipulus, ut altè Philosophicas scientias expresserat: ita oris facultate, Philistii Syracusii ac Thucididis historici, ut ait Cicero de claris Orat: *concisîs sententiîs, ac brevitate, nimioq; acumine non satîs apertîs, officit Theopompus, elatione atq; altitudine Orationis suæ.* Pauca ista de Græcis, descendamus ad Europeos Ora-

Oratores quorum pene inexhaustus Catalogus.

Sectio 14.

Oratores Europæi excellentes, omnibûs scientiis imbuti fuerant.

C*Iceronis* eloquentia omni certamini exempta est: at in illo mirari satis non possum, ultra ea, quæ hactenus diximus, quod Puteanus in somniū Scipionis Authore Tullio evigilatum ait. *De Cicerone quidem cum sermo instituitur, necessum non est elegantiam styli verbis adstruere, necessum fortasse persvasum habeatis, latere in aureo aurei hujus scripti fundo, præter Grammaticæ Rhetoricæq; thesauros, Arithmeticæ abacum, Musicæ modos, Geometriæ pulverem, Astronomiæ imagines, Moralis, Politicæq; ac naturalis Philosophiæ quandam umbram, quæ omnia & cognoscenda futuro Oratori sunt, si tam augustum sustinere nomen velit, sed ipsi eloquentiæ Professori cognita esse debent, nisi impar humeris onus suscepisse videatur.*

Pli-

Plinius omni dicendi genere excellentiſſimus, hanc Encyclopædiam articulatim perſpexit, tam perfectè, quàm ipſe perfectus Orator. Et ut cæteros omittam. *Auguſtinus* Profeſſor Rhetoricæ Mediolani, ac Orator auguſtiſſimus, qui ultra hoc nectar, quo hucusq; reficit Eccleſiam, Bautoni Conſuli dixit panegyrim Anno Chriſti 384. ætatis ſuæ 30. ne unicum ſcientiarum gradum ab illo orbe ſibi ſubtraxit, quod cum aliunde tum ex libro Retractationum planè conſtat.

Per idem tempus quo Mediolani fui baptiſmum percepturus, etiam diſciplinarum libros, conatus ſum ſcribere, interrogans eos, qui mecum erant, atq; ab hujusmodi ſtudiis non abhorrebant, per corporalia cupiens, ad incorporalia, quibusdam quaſi paſſibûs certîs vel pervenire vel duci. Sed earum ſolùm de Grammatica librum abſolvere potui: & de Muſica ſex volumina, ſed eosdem ſex libros jam baptiſatus, jam ex Italia regreſſus in Africa ſcripſi. Inchoaverã

quippe

quippe tantummodo istam apud Mediolanū disciplinam. De aliis verò quinq; disciplinis illic similiter inchoatis, de Dialectica, de Rhetorica, de Geometria, de Arithmetica, de Philosophia sola principia remanserunt. Adde hic contra Academicos libros tres, de beata vita librum unum, Authore Augustino. Ex his concludo, si hæ disciplinæ, tam variæ & multæ, ad incorporalia studia, certi erant Augustino passus, quantò magis ad universam Oratoris artem, quâ præter cælestia, corporalia quoq;, reiq; Civilis commoda promoventur. Quare Puteano consentiendum. *Omnia* hæc scientiarum Mysteria *Oratori pernoscenda, si tam augustum sustinere nomen voluerit.* Nam si hæc non subsit scientiatum penus, ampullæ verborum, & utres sermone inflati erunt, non erit solida, & ut adamas pretiosa oratio. Etenim ut omnes fere Philosophi, qui Tullio præcesserunt vitâ, solidis rationibus addebant vim eloquentiæ ad persvadendū

aptam,


aptam, ut ait Cicero lib: 1. Acad: quæst: *Ultra Dialecticam, quasi ex altera parte Oratoria vis dicendi adhibebatur, explicatrix Orationis perpetuæ, ad persvadendum accomodata*, Ita Oratores, verborum festivitati, Philosophiam adjiciant, ut Auditores pertrahant.

Sectio 15.

Probat Encyclopædiam Oratori necessariam testimoniô Ciceronis.

SYsiphi lapide (inquit *Jovita*,] hoc gravius studium foret eloquentiæ, non modò, contra quàm vult non nemo, juvenibus, sed & viris; si ejus causâ omnium scientiarū adita penetranda forent, *Faustinus*. Per me licet. Sed si quis in tam magna re mediocris esse nolit: ad quam artis moderationem, potentes ingeniô incitat Soarius, omnino, quàm plurimis scientiîs delibutus sit; Hoc Quinctilianus aut Tacitus in dial: de causis corruptæ eloq: contentiosiùs asseverat. *Neq; enim Sapientem infor-*

informamus, neq; Stoicorum Civitatem, sed eum qui non quasdam artes audire, sed omnes liberaliter debet. Itaq; & Juris civilis scientiam, veteres Oratores comprehendebant: & grammaticâ, musicâ, & geometriâ imbuebantur. Incidunt enim causæ plurimæ quidem, ac pæne omnes, quibus juris notitia desideratur, pleræq; autem in quibus hæ quoq; scientiæ requiruntur. Nec quisquàm respondeat. Sufficit ut ad tempus simplex & uniforme doceamur. Ipsa multarum artium scientia, etiam aliud agentes nos ornat, atq; ubi minimè credas eminet & excellit. Idq; non doctus modo & prudens auditor, sed etiam populus intelligit, ac statim ita laude prosequitur, ut legitimè studuisse, ut per omnes eloquentiæ numeros isse, ut deniq; Oratorem etiam fateatur, quem non posse aliter existere, nec extitisse unquã confirmo, nisi eum, qui tanquàm in aciem omnibûs armis instructus, sic in forum omnibus artibus armatus exierit: quod adeo negligitur ab horum temporum disertis, ut in actionibus eorum, fex quoq; cottidiani sermo-



sermonis fœda ac pudenda vitia deprehendantur. Quod ipsum Ciceronis testimoniô Q. Fratrem suum alloquentis, patet pressiùs, & ampliùs, lib: 1. de Orat:

Soles nonnumquam à me, in disputationibus nostris dissentire Q. Frater, quòd ego, prudentissimorum hominum artibus, eloquentiam contineri statuam, tu autem illam ab elegantia doctrinæ segregandam putes, & in quodam ingenii, atq; exercitationis genere ponendam. Ac mihi quidem sæpenumerò in summos homines, ac summîs ingeniis præditos intuenti, quærendum esse visum est, quid esset, quod plures in omnibus rebus, quàm in dicendo admirabiles extitissent. Nam quocunq; te animô, & cogitatione converteris, per multos excellentes, in quoq; genere videbis, non mediocrium artium, sed propè maximarum. Quis enim est, qui si clarorũ hominum scientiam, rerum gestarum, vel utilitate, vel magnitudine metiri velit non anteponat Oratori Imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli Duces, ex hac

una

una Civitate præstantissimos, pene innumerabiles. in dicendo autem excellentes, vix paucos proferre possimus. Jam verò consiliô ac sapientiâ, qui regere ac gubernare rempub: possent, multi nostrâ, plures Patrum memoriâ, atq; etiam majorum extiterunt, cum boni perdiu nulli, vix autem singulis ætatibus singuli, tolerabiles Oratores invenirentur. Ac ne quis forte cum aliis studiis, quæ reconditis in artibus, atq; in quadam varietate literarum versentur, magis hanc dicendo rationem, quàm cum Imperatoris laude, aut cum boni Senatoris prudentia comparandam putet, convertat animum ad ea ipsa artium genera, circumspiciatq; qui in iis floruerunt, quãq; multi: sic facillimè quanta Oratorum sit, semperq; fuerit, paucitas, judicabit. Neq; enim te fugit laudatarũ artiũ omniũ procreatricẽ quandam, & quasi Parentẽ eam, quã Philosophiã Græci vocant, ab hominibꝰ doctissimis judicari, in qua difficile sit enumerare, quot viri, quanta scientiâ, quãtaq;

in suis studiis varietate, & copiâ fuerint: qui non in una aliqua re separatim elaborarint, sed omnia quæcunq; possent vel scientiæ pervestigatione vel differendi ratione comprehenderint. Quis ignorat, ii qui Mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum, & quanta recondita in arte, & multiplici subtiliq; versentur? quo tamen in genere ita multi perfecti homines extiterunt, ut nemo fere studuisse ei scientiæ vehementiùs videatur, quin, quod voluerit consecutus sit. Vere mihi videor esse dicturus, ex omnibus iis, qui in harum artium studiis liberalissimis sunt, doctrinisq; versati, nimidm copiam Pòëtarum egregiorum extitisse: atq; in hoc ipso numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, si diligenter, ex nostrorū & Græcorum copia, comparare velis, multò tamen pauciores Oratores, quàm Pòëtæ boni reperientur. Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quòd cæterarum artium studia, fere reconditis, atq; abditis è fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis

ratio,

ratio, in medio posita, communi quodam in usu, atq; hominum more, & sermone versatur: ut in cæteris maximè excellat, quod longissimè sit ab imperitorum intelligentia, sensuq; disjunctum: in dicendo autem vitium, vel maximum est, à vulgari genere orationis, atq; à consvetudine communis sensus abhorrere. Quibus de causis quis non jure miretur ex omni memoria ætatum, temporum, civitatum tam exiguum Oratorum numerum inveniri. Sed nimirum majus est hoc quiddam quàm homines opinantur, & pluribus ex artibus studiisq; collectum: est enim & scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis, atq; irridenda est, & ipsa oratio confirmanda est, non solum electione, sed etiam constructione verborum: & omnes animorum motus, quos hominum generi natura tribuit penitus pernoscendi, quòd omnis vis ratioq; dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus, aut sedandis, aut excitandis expromenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam

facetiæq́; & eruditio libero digna. celeritasq́; & brevitas, & respondendi & lacessendi, subtili venustate atq́; urbanitate conjuncta. Tenenda est præterea omnis antiquitas, exemplorumq́; vis: neq́; legũ, aut juris Civilis scientia negligenda est &c.

Concludit Cicero. *Ac mea quidem sententia, nemo poterit esse cumulatus Orator, nisi erit omnium rerum magnarum, atq́; artium scientiam consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat atq́; redundet, oportet oratio, quæ, nisi subest res, ab Oratore percepta & cognita, inanem quandam habet elocutionem & pene puerilem.*

Jam idem propositum ad Brutum de Oratore perfecto illustrat Tullius vehementius, *sed & hujus* [id est Platonis] *& aliorum Philosophorum disputationibus & exagitatus maximè & adjutus sit Orator. Omnis enim ubertas & quasi sylva dicendi, ducta ab illis est nec tamen satis instructa ad forenses causas, quas ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus Musis reli-*

reliquerunt. Sic eloquentia hæc forensis, pulsa & repudiata, multis quidem illa adjumentis magnisq; caruit: ita & doctis eloquentia popularis, & disertis elegans doctrina defuit. Positum sit igitur imprimis, quod post magis intelligetur, sine Philosophia non posse effici, quem quærimus eloquentem, non ut in ea tamen omnia posita sint, sed ut sic adjuvet, ut palæstra histrionem. Parva enim magnis rectissimè sæpe conferuntur. Nam nec latiùs, nec copiosiùs de magnis variisq; rebus sine Philosophia potest quisquam dicere. Siquidem etiam in Phædro Platonis, hoc Periclem præstitisse cæteris dicit Oratoribus Socrates, quòd is Anaxagoræ Physici fuerit Auditor, à quo censet eum, cum alia præclara quædam, & magnifica didicisse, uberem & fæcundum fuisse, gnarumq; [quod est eloquentiæ maximum,] quibus orationis modis, quæq; animorum partes pellerentur: quod idem de Demosthene æstimari potest; cujusq; ex epistolis intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis Auditor.

ditor. Nec verò sine Philosophia, genus & speciem, cujusq; rei cernere, neq; eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus, nec judicare, quæ vera, quæ falsa sunt, neq; cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distingvere. Quid dicam de natura rerum cujus cognitio magnam orationis suppeditat copiam, de vita, de officiis, de virtute, de moribus, sine multa earum ipsarum rerum disciplina, aut dici, aut intelligi potest. Ad has tot, tantasq; res, exhibenda sunt ornamenta (Rhetorica) *innumerabilia, quæ sola, tum quidem tradebantur ab illis, qui dicendi numerabantur Magistri: Quo fit, ut veram illam, absolutamq; eloquentiam nemo consequatur, quod alia intelligendi, alia loquendi disciplina est: & ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrina quæritur. Itaq; M. Antonius cui vel primas Patrum nostrorum tribuebat ætas, vir naturâ, præacutus & prudens, in eo libro, quem unum reliquit: Disertos agit se vidisse multos, eloquentem omnino neminem.*

Quan-

Quantùm hac universitate scientiarū resplendeant orationes Tulli id ipsum, uberrimè testatur de se lib: imo de natur: Deorum *Nos autem nec subito cæpimus philosophari, nec mediocrem à primo tempore ætatis, in eo studio operam, curamq; consumpsimus, ut cum minimè videbamur, tunc maximè philosophabamur, quod & Orationes declarant, refertæ Philosophorum sententiîs; & doctissimorum hominum familiaritates, quibùs domus nostra semper floruit.* Unde recte Velleius contra Cottam Academicum lib: 2. de natura Deor: apud Cicer: 1177. *Neq; indisertum Academicum pertimuissem, nec sine ista Philosophia Rhetorē quamvis eloquentem, neq; enim flumine conturbor inanium verborum, nec subtilitate sententiarum si sententiarum est siccitas. Tu autem Cotta utrâq; re valuisti; Corona tibi & judices defuerunt.*



Sectio 16.

Probatur ad omne dicendi genus Encyclopædiam necessariam.

CRediderim experto *inquit Jovita* Tullio, in genus Judiciale corrivari, tot disciplinas, oportet, minimè tamen consiliis ac laudibus ista sunt arma oportuna. *Faustinus* Quoniam forense genus, ut multi fatentur, siccum est, & exsangve, omnem copiam à demonstrativo & deliberativo trahit, ideo si judiciorum certamina, tantùm exercitum scientiarum exigunt, etiam consilia, ac laudes, eam eruditionis copiam debent colligere. Nam bonum & malum, utilitas ac inutile aut etiam detrimentum, scopi sunt quasi ultimi omniũ trium dicendi generum. Nam non accuso, nisi malum, non vitupero, nisi malum, ut non defendo, nisi bonum, non svadeo, nisi bonum, non laudo, nisi bonum. Etenim ut defenditur quispiam, quòd utile fecerit non

cri-

criminosum, ita svadetur, ut utile faciat, ita laudatur, quod utile fecerit, nam quæ honesta sunt, fructibus magnis utilitatiq; conjuncta sunt. Sed magis, in iis perspicitur, qui aut Consules sunt, aut ornant cæterorum vitã, nihil oratoriè efficiunt, si rẽ ad Philosophiæ principia, sancitaq; non deducant. Ergo sive quis Epidicticus Orator sit, sive consularis, omnem omnino scientiam sibi faciat familiarem. Certe si salutari Philosophiâ imbuti essent Thonemphoari, nunquã tranquillitatis publicæ custodem, canem, elegissent; à cujus motu velut à nutu Divino, munera, magistratus, Imperia, quæ unicuiq; deferenda essent, absq; Civium deliberationibus destinabant: tamen hunc comitiô publicô quovis anno, coactô, tantarum rerum Præsidem eligebant. Ita, nec comitia Psyllorum, (Lybiæ populus est) in perniciem irent, si proba cognitione rerum muniti essent. Austrum illi pestifera aspi-
ratione

ratione sibi, ac campis frugibusq; infestum habebant: de ultione hujus, die noctèq; cogitabant, cujus vindictæ causa dum cogunt Senatum, publicumq; cætum advocant, de bello adversus austrum inferendo deliberarunt. Et teste Herodoto gravissimæ in illum spiritum latæ sententiæ: dimissoq; concilio, adornata expeditio est, frequens ac strenua tracta, in pugnam: Sed Psyllorum cursu, & consvetudine austri, ingenti pulveris mole excitata, omnes fere obruti sunt, ac extrema occidione deleti, reliquerunt, nihil impius esse quàm si modicis imbuti scientiis, consultantium occupent curules. Jam, tam falsos ritus Deorum, quid intulit Orbi? quid illis diis summos honores detulit? nonne ullis scientiis mens inculta? Populus & vulgus, portio hominum rudissima Deos sibi somniavit, iniquos, injustos, adulteros, homicidas, fures, sacrilegos. Cur id quæris? quia rudes: qui turpitudinem divinitatem

puta-

putavere. Equidem ſic exiſtimo, diſciplinîs ſanisq́ doctrinîs non illuſtratos homines, ut ebrios, in nativis tenebris exiſtere: at temulentorum ea ratio eſt, ut licet Regi aut Domino deferendum honorem exiſtimant, tamen equũ, falſa opinione, ac caligantium oculorum mentisq́ errore inducti, adorent, eô ritu, quo principes coluntur. Ita mortalibus notus DEUS per ſe eſt; ſed ignorantia congenita ebrios reddidit, qui tunc ſobrii ſunt, cum ad lucem diſciplinarum evigilant. Sed metus populi fuerat, qui quoq́ verum Philoſophorum lumen, ſupprimeret; còégitq́ cum rudiſſimis errare, quàm ſolos ſapere. Neq́ enim diſſentire omnibus poterant Philoſophi. Ergo timore vulgi inſpirati, aliquid ſemper falſi, in Deos deponebant: mutuisq́ jurgiîs ſibi cavillabantur, ut nemo eum rerum omnium Præſidem finxiſſet, qui illa virtute, illa honeſtate præditus eſſet, quàm in homine mortali,

ipſa

ipſa vis ingenii mortalibus congenita, deſiderabat. Igitur ut illos Philoſophia ducebat, ut ſemper DEI naturam immutarent, eò quòd eã congruã cognitioni rerum naturali, non reperirent, ſemperq; aliquid afflictum in Diis adverterent, ita eadem in moribus & geſtis ſemper indicat, quid honeſtati commodũ, quid verò devium ſit. Ex quo liquet ut DEUM, in iis quæ citra myſterium ſunt, contemplationi bonorum naturali, correſpondere oportere, ita, vitam ac facta hominum ut aut vituperanda ſint, aut laudanda, congruere oportet omni ſcientiæ. Ergo hic concludendum eſt ut Gallutius Orat: 4. num: 107. *In Oratorem omnes omnium liberalium, aut minùs etiam illiberalium artium virtutes convenire Dialecticorum acumen, ſententias Philoſophorum, verba prope Poëtarum, Juriſconſultorum memoriam, Tragœdorum vocem, actorum deniq; geſtum, & motum, legendos illi eſſe Poëtas, cognoſcendã hiſtoriam, perdiſcendas*

leges

leges, omnem antiquitatem percipiendam, omnium bonarum artium scriptores pervolutandos, libandum ex omni literarum genere florem: quo distingvatur, atq; aspergatur oratio. Et Idem ibidem 109. videtis quantum isti campum aperiant humanitati, nullam prætereunt scientiam, nullum doctrinæ genus, non morum Philosophiam, non Physicam, non Mathematicam, non jus Civile, dicam amplius, nullam in qualibet facultate cognitionem relinquunt, nullum vestigium antiquitatis, eum deniq; faciunt & appellant humanum, quem peritum, nescio quo loco nominat Aristoteles, eamq; volunt esse humanitatem, quam Plato dixit, Encyclopædiam, hoc est omnium artium liberalium circulum, & complexionem. Tanta est enim, omnium inter se musarum cognatio, ac nexus, tanta severioris mansvetæq; disciplinæ, invicem sibi, ut fieri solet, infidelibus concordia concinunt, ut ex partibus conjunctam, in paribus unam, omnino faciant, ac veluti circino circumductam absolvant doctrinam, & facultatem, qua qui careat,

is

is istorum sententiâ dici non posset humanus.

Sectio 17.

Ab Oratoris studio Carthesiana Philosophia ac Epicurea rejicitur, approbatur Aristotelica, Carnedia & aliæ nonnullæ.

Brevis disputatio de Atomis.

PErfecit Faustinus sermonem: ecce duo tumuli occurrunt in ejus oculos, in collem acuti: collibus imminebant bini homines, vestis illis pædore quodam, non tam lacera, quàm exesa; facies mortuis similiores quàm viventibus. Alter risu corrumpendo verba, quid funestum voce pollicebatur: Alter metum spectatorum gaudiis miscebat: rosas enim exarmabat aculeîs, hosq́ perticis oblongis præfigebat, quarum, in fascibus ingens copia, æquabat collem. Monstra sanè putarunt Faustinus & Jovita non minus risu digna, quã timore, squallida illis omnia, tristia omnia præter risum & rosas, Gressus spectatorem ita adduxerat, ut jam pene

Ora-

Orationis ridiculæ, audiret perfectè mysteria, vultuq; monstra internoscerentur. Democritum se, illum verò Epicurum ingeminabat sæpius: risus ipse & molles rosæ, uterq; habitu pene non virili diffluens, dictis adstruxere fidem. Risus ita Democrito pendentibus ac immanè extensis buccis ac strepentibus corruperat verba, ut pene non loqui, sed tubarum clangorem imitari videretur. Materies orationis ea fuerat: Adjurabat omnes Atomos, & harum defensores, sectatoresq; antiquos, ad bellumq; provocabat, Carthesium Carthesianosq; contra. Multo magis hic in stuporem compulit oratio Democriti, quàm spectrorum apparitio. Tum *Jovita* ad Faustinum. Ecquid injuriæ intulere Carthesiani Democrito ac Epicuro, ut illam statuant armîs vindicare: Olfacio injuriam inquit *Faustinus*, Nam cum Philosophorum Ethnicorum summa contentio ac ultima fuerat, gloriam sibi ingeniô propagare,

gare, hanc autem primùm Democritus, alter Epicurus, consecuti sunt, formas tollendo, ex atomis omnia constare vehementiùs asseverando; nunc cùm ea fama, tanquam in fontem, in Carthesium redundet, imaq; inventio eidem deferatur, bellum de nominis, ac gloriæ raptæ injuria, indicitur. Ut enim olim, ita, & nunc, semper inventoribus primis, scientia attribuitur. Aristotelici sunt hucusq; qui Philosophiæ naturalis theoriam, ab illo vendicarunt, unde qui Angelicũ, qui subtilem Doctorem sequuntur, se Aristotelicos non dedignantur, licet quædã quasi appendices & periochas, Thomas, & Scotus, reliquiq; addidere. Ut quemadmodum ex Socratis, aut veriùs Platonis schola, plures sectæ prodiere Platonicæ dictæ, ita additis quibusdã glossis in Philosophiam Aristotelis, plura quoq; scientiarum divortia emersere, Authoris nomen semper religiosum conservando. Bellũ itaq; & quod maxi-

maximè miror, intra limites Poloniæ indicitur, tu cave ne cuiquam parti adhæreas. Cadet certè causa Democriti & Epicuri, inquit *Jovita.* in Polonia, cum uterq; derideatur, & nullum jus pro se adferant. Stabit inquit *Faustin:* cum Poloni in deferendo cuiq; honore sint pertinacissimi. Jus verò Democritus & Epicurus habet ex Tullio, cujus in Lechia Authoritas ut in Rhetoricis, sic in cæteris prope maxima, nemoq; eum mentiri dicet, in historia, ac Philosophia, qui in ambiguo Oratorum studio, forsitan nunquam erravisse permittitur. Sic autem & Cicero, ut summus Orator, ita eminentissimus Philosophus habet de Epicuro. *Democrito adiicit perpauca mutans. Ille atomos, quas appellat, corpora individua, propter soliditatem, censet in inani ita ferri, ut concursionibus inter se cohærescant, ex quo efficiantur ea, quæ sint, quæq; cernantur omnia, eumq; motum atomorum, nullo à principio, sed ex æterno tempore intelligi*

con-

convenire. Epicurus autem in quibus sequitur Democritum, non fere labitur: quã quam utriusq́; cum multa non probo, tum illud imprimis, quod cùm in rerum naturâ, duo quærenda sint, unum, quæ materia sit, ex qua quæq́; res, efficiatur, alterum, quæ vis, sit, quæ, quidq́; efficiat; de materia disseruerunt, vim & causam efficiendi reliquerunt, sed hoc commune vitium: illæ Epicuri propriæ ruinæ. Censet enim eadem illa individua, & solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam: hunc naturalem esse omnium corporum motum: deinde homo acutus, cum illud occurreret, si omnia deorsum è regione ferrentur, & ut dixi ad lineam, nunquam fore ut atomus altera, alteram posset attingere: itaq́; attulit rem commentitiam; declinare dixit atomum perpaululum, quò nihil posset fieri minus, ita effici complexiones, & copulationes, & adhæsitationes atomorum inter se, ex quo efficeretur mundus, omnesq́; partes mundi, quæq́; in eo essent. Quæ cum tota res ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem, quod vult.

Nam

Nam & ipsa declinatio, ad libidinem fingitur (ait enim declinare atomum sine causa, quô nihil turpius Physico, quàm fieri sine causa, quidquam dicere) & illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit è regione inferiorem locum petentiū, sine causa eripuit atomis: nec tamen id cujus causa hæc finxerat assecutus est: nam si omnes atomi declinabūnt, nullæ unquam cohærescent, sive aliæ declinabūnt, aliæ suo nutu ferentur rectè. ◌mum erit hoc, quasi provincias atomis dare, quæ rectè quæ obliquè ferantur: deinde eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus hæret, turbulenta concursio, hunc mundi ornatum conficere non poterit. Hucusq; Cicero. Ergo Jovita testimoniô tanti viri, hi qui nunc Carthesiani dicuntur, aut Democritæ ridentes, aut Epicurei vocandi sunt: hoc enim nomen ingeniô suô meruerunt illi, de quibus hactenus dixi atomorum parentes & Authores. Jam se ab hoc turpi nomine *inquit Jovita* vindicarūt Atomistæ, admiserant enī in

brutis formas ſpirituales in perfectè, & præterea illi antiqui *pueriliter* ut ait Cicero, hi verò viriliter theoriam rerum naturalium effinxere.

Ad hæc *Fauſtinus.* ad ſecundum priùs tibi referam: non minus pueriliter Cartheſiani in præſens fingunt, cùm non diſpari ratione ac Epicurus, de atomis fabulentur. Philoſophia per ſe rudibus, ac adoleſcentibus ardua intellectu eſt, neq; enim ſapientiam puero decem vel octo annorum, niſi ſtultus attribuat. At ego audivi decennem juvenem, grammaticæq; dantem, operam ita prope omnibus difficultatibus, naturæq; eventibus occurriſſe, atomorum aſſertione ut non meliùs forſitan ipſe Cartheſius, laqueîs ſe poſſet explicare: quod experimentum atomos Cartheſianas eſſe puerilia figmenta vehementiùs arguit.

Jam primum non modò nugis non abſimile ſed fidei religioniq; periculoſum. Liceat hìc, figmenta figmentis elude-

eluderè exemplo Salomonis, qui falſæ contra germanam, matris contendentis de filio mendacium, obruit parî dolô, dum infantem gladio juſserat inter Matres dividi. Audi jam figmenta, ſed priùs fabulæ commentantis in brutis animas imperfectè ſpirituales originem. Primum enim dum iſtas in illis negârant animas, nulla ratione naturali poterant ſe animatos, viventesq́ probare Cartheſiani. Sed quoddam horologium, aut aliquod admirabile automaton, ex ipſis pulviſculis omnipotentiâ DEI ſapientiſſimè conflatum, ſe cenſere, cogebantur. Quidquid enim de ſe finivêre, id parium argumentorum filô, in bruta trahebatur, & è converſo: quem laqueum cum reſcindere non poſſent, in irrationalibus quoq́ animalibus, vitam imperfectè ſpiritualem effinxere, ut ſe & virilibûs argumentîs aliquantùm expedirent, & tot tamq́ variarum ſenſûs exercitationū, cauſam ſupponerent. Quod

cum ita ſit, tua veniâ Jovita, permittas ultra mihi fabulari, hac Philoſophiâ, ſi non ebrio, ſaltem afflato.

Quoniam non tam in cæteris naturæ donis, quã in ipſa ſpecie ſpiritûs, Carthesianis anima brutorũ eſt imperfectior, hominis animô; neceſſe ut hic deficiat in eadem naturæ dote, ab Angelo, Angelus à DEO qui eſt perfectiſſimè ſpiritus: quô poſito immane illud omnis Philoſophiæ conſurgit monſtrũ, quale etiam in Megera, aut Meduſæ capite, nunquam comici aut tragici ſomniarunt Pòétæ: DEUM eſſe magis ſpirirum, quàm Angelum: Angelum quàm humanum animum, hunc verò quàm brutorum animam: Ego fingo ultra, brutorum animam perfectiùs eſſe ſpiritualem, quàm ignîs animam, hanc quàm Mercurii vivi; ſicq; de cæteris procedam, in omnibus fontem effectorum naturalium, pueriliter ſpiritum cenſendo, in ſua perfectione continuò deſcendentem. Nam ſi lapis erit imperfe-

perfectè substantia, brutum necessario est futurum, perfectiùs substantia & sic de cæteris rerum ordinibus naturalium. Cur enim afflato mihi papavere Carthesiano somniare sit vetitum: & cur nugari mihi contra Atomistas non liceat? cum illis prurire infantiliter, sit omnino non inglorium?

At necdum evigilare possum ab hoc somnio Atomistarum, quin adhuc varias idæas effingam. Nam si animæ brutorum, sunt imperfectè spirituales, & spiritus imperfectè materiales, hominum dicā animas, minus materiales, & sic de Angelo, donec pervenerim ad emaculatissimū Spiritum, DEUM scilicet.

Jam quòd ipsi balbutiunt, fontem vitæ brutorum, quamvis sit spiritualis substantia, suâ naturâ cogi ad perire (cum contra omnis sana Philosophia, rerumq; experientia doceat, omnia in sui conservationem vehementiùs ferri) idq; ideo censeant, ne belluarū animæ

ſejunctæ à corporibus, cælum Machometis æternitate beata occupent: cur quæſo humani corporis domicilio excluſa forma, ad hanc ſui ruinam ſeipſâ non impellitur? quod cum inextricatiſſimus illis nodus eſt, neceſſe eſt, ut atomiſtis anima ſit mortalis, quamvis hac immortalitate naturali, quamlibet donent atomum, quarum nulla in omnibus generationibus, corruptionibusque corrumpitur: ſed, aut novis permiſta, novum naturæ procreat automatum, aut certè una cedit alteri: quô judiciô, quid moribus, quid immortalitati animæ peſtilentius.

Iſta Fauſtinus finierat. Ecce autem ex quatuor orbis partibus, magnus concurſus, & tumultus aeris, ita inhorruit, ut niſi propinqua ſpelunca ſpectatores reciperet, ibidem ubi aliquantum hæſerant, timore extincti, ſepulchrum haberent. Omnes enim ab inferis Epicurei, omnes Cartheſiani ex orbe, convolarunt. Crudeliſſima exor-

ta belli procella, pari tumultu, ac atomi concurrunt. Sed ſive quòd jam atomorum præſentis ſæculi vis effæta fuerat, aut certe compoſitione variarum ſpecierum non interruptâ, nimis fatigata, & langvida, uſuq́ ipſo diuturno attrita, ſive quòd atomos Democriti ac Epicuri antiquas ac ſenectute canas, adoleſcentiores quæ Carthesios conflabant reveritæ fuiſſent: ſive quòd Democritus, buccîs riſu ſtrepentibûs, ceu Bellonæ lituîs hilariorem ſuum reddidit militem, clangoreq́ animavit, aut certe Epicurus, illa aculeis roſarũ præfixa ſubminiſtraſſet arma, cecidit poſteritas, vicit antiquitas: lexq́ ad tubã & tympana prolata, ut qui atomos ingeniô conſectantur ſuô, Democritæ Epicureiq́ vocentur, ut ſic Authoris hujus Philoſophiæ nomen, defluentibus ſit clarum ſæculis.

Jam ex acie belli, Patriam ſibi effeciſſent Poloniam, victores, niſi è ſacris buſtis cydari ac pedo armati Præſules

ſacerrimi, cum ſua corona, ac Tullius cum Oratorum frequenti numero poſiliiſſet, & omnes Democritas ac Epicureos, non modo extra limitem Poloniæ, verùm in infinitos Democriti orbes ejeciſſet.

Tum *Jovita inquit.* Ecquis impetus aut hos ſacerrimos, terq; venerandos manes, ac Oratores excivit contra Democritum ac Epicurum? Multum *inquit Fauſtinus* in hoc negotii habet veneranda Chriſti religio, multum ars Oratoria; illa Epicuros cum atomis ut peſtem fugat, hæc ut inutilem orationi Philoſophiam protinus abiicit.

Ac imprimis nimis periculoſa eſt Chriſtianæ fidei, Atomorum diſſertatio. Lutherus dum in Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum & panem copulari aſſeverantiùs, perhibet [quod à quibusdam novo nomine impanatio dicitur] verùm religioſi aſſensùs aufert documẽtum: at atomiſtis idem error ſubeſt: cum enim illis omnis ſubſtantia, quæ mate-

materia eſt, & corpus, poſita ſit in pulviſculis ſimplicibus, ex forma & materia nequaquam compoſitis: neceſſe eſt, ut dum miraculum illud Divini corporis, in altari conficitur, Sacerdotis voce, pereat inſignis atomorum portio, non nullis tamen, ut experienti patet, relictis, in quibus cùm ſubſtantia panis ſubſiſtat, impoſſibile inſignem edulij partem, non relinqui; quod licet non integrè, tamen ſemilutheranum eſt, ac aſſerto revelantis DEI, protinus recalcitrat. Demum oportet ſubſtantiarũ Divina immutatione peractâ, hoc alimentum quotidianæ ſacræ famis ſummè poroſum remanere, aut levius deceſſu illarum atomorum; quod nemo, qui utitur ingenio, negare deberet.

Ergo rectè à ſacris Præſulibus, rejectus atomiſtarum incolatus, ſed non minùs ab Oratoribus. Nam Cicero ubi omnino neceſſariam Oratori contendit Philoſophiam, protinus addit, *non illam Epicuream ſed aut*

Car-

Carneadiam aut Aristoteliam. Nam cum omnis Philoſophia diſtincta ſit in naturæ obſcuritatem, quod Phyſici; in diſſerendi ſubtilitatem, quod Logici; in vitam & mores quod morum contemplatores conſiderant Ethici, neceſſe eſt, ut hac triplici commentatione probè agitatus ſit orator, quemadmodum ſupra demonſtravimus. At Epicuream morum cognitionem, protinus abjicit Marcus lib: 3. de Orat: admittet ne ejusdem delicatiſſimi, de natura lucubrationes, quas ipſe luculenter proturbat? Hic enim lib: de Orat: ita habet, quem locum integrè adduco, ut perſpectum ſit, quæ Philoſophia Oratorum probatur ſtudiis, quæ rejicitur. *Cum eſſent plures orti fere á Socrate, quod ex illius variis & diverſis & in omnem partem diffuſis diſputationibus, alii aliud aprehenderant, proſeminatæ ſunt, quaſi familiæ diſſentientes inter ſe, & multum disjunctæ, & diſpares, cum tamen omnes Philoſophi, ſe Socraticos, & dici vellent, & eſſe*

arbi-

arbitrarentur. Et primo ab ipso Platone Aristoteles & Xenocrates, quorum alter Peripatheticorum, alter Academiæ, nomen, obtinuit: Deinde ab Antisthene, qui patientiam & duritiam in Socratico sermone maximè adamarat, Cynici primum, deinde Stoïci: tum ab Aristippo, quem illæ magis voluptuariæ disputationes delectarant, Cyrenaica Philosophia manavit, quam ille & ejus posteri simpliciter defenderant: ii qui nunc voluptate omnia metiuntur, dum verecundiùs id agunt, nec dignitati satisfaciunt, quam non aspernantur, nec voluptatẽ tuentur, quàm amplexari volunt. Fuerunt etiam alia genera Philosophorum, qui se omnes Socraticos esse dicebant, Eretricorum Herilliorum, Megaricorum, Pyrhonneorũ: sed ea horum vi & disputationibus, sunt jam diu fracta & extincta. Ex illis autem, quæ remanet ea Philosophia, quæ suscipit patrocinium voluptatis, & si cui vera videtur, procul tamen abest, ab eo virò, quem quærimus, & quem auctorem publici consilii, & regendæ civitatis Ducem, & sententiæ atq; eloquen-

eloquentiæ Principem, in Senatu, in populo, in causis publicis, esse volumus: nec ulla tamen ei Philosophiæ fiet injuria á nobis: non enim repelletur inde, quo aggredi cupiet, sed in hortulis quiescet suis, ubi vult, ubi etiam recubans molliter, & delicatè, nos avocat à rostris, à judiciis, à curia, fortasse sapienter hac præsertim republica. Quare istos sine ulla contumelia dimittamus, sunt enim boni viri, & quoniam sibi ita videntur, beati: tantumq; eos admoneamus, ut illud etiamsi esset verissimum, tacitũ tamen, tanquàm mysterium teneant, quod negant versari in republica esse sapientis. Tres itaq; horum atomistarum errores collige, *primum* ex atomis conflari omnia, *alterum* mores & vitam debere referri ad voluptates obscænas, *tertium* sapientem hunc non esse, qui ad negotia reipublicæ se confert. Horũ igitur Philosophiam rectè ab arte Oratoria, quæ pars civilis est, retrudit Cicero & abigit. Ultra hos rejicit Stoicos, qui irasci nesciunt, & alia bona ac mala, præmia ac

sup-

ſupplicia, quam homines ſentiunt, aſſignant. Arceſilam Socraticum, qui ex Socrate arripuit, *nihil eſſe certi*, quiq́ primus inſtituit, non quid ipſe ſentiret oſtendere, ſed contra id, quod quisq́ ſe ſentire dixiſſet, diſputare, utcunq́ & indifferenti mente tolerat, imo approbat aliquantum. In Carneadia & Ariſtotelia Philoſophia magnum Oratori otiũ commendat, quòd hæc in utramq́ partem contrarii, verſet ingenium, diſſertationibus.

Sectio 18.

Reiicitur ſenſus Ariſtotelis de materia Oratorum, ſeu opinio vulgi, non eſt fons argumentorum dicendi.

POſuimus univerſas ſcientias, Oratoris materiam eſſe, non quòd proprium ſit oratorum, per apices & ſeparata puncta, more ſcholaſtico rerum omnium commentationem deducere, ſed quòd, omni ſcientiâ imbutus ſit oportet, qui ad Majeſtatẽ ſuæ materiæ

dicere

dicere voluerit. Sylvæ enim Academicis, receſſus alti Peripatheticis; extases Theologis affines ſunt; eloquentiæ authorem fora, & publicæ hominum conciones decent. Itaq; Oratori omnis ſcientia dat argumentū: contra quam exiſtimavit Ariſtoteles, univerſam in inveniendo Rhetorum induſtriam opinione hominum contineri, ab illaq; pendere. Hæc ille inculcat in ſua Rethorica. Ducit ille hujus facultatis ſectatores, non tam ut inquirant, quid verum & honeſtum ſit, ſeu cum virtute conjunctum ex ſe, ſed quid pro verò ac juſto in opinione hominum habetur. Unde Majoragius ait, orationem non ſolum perſpicuam elocutione eſſe debere, ſed etiam rebûs, auditori, ac vulgo clariſſimis ac notiſſimis. Hunc ſenſum ſecutus Perpinianus oratione de ſtudiis Oratorum, omnia illa reiicit argumenta quæ ex myſteriis ſcientiarum à vulgo remotarum, promuntur, perſtringitq; verbi Divini
præ-

prædicatorem, & ſiccum compellat, eum, qui ſubtilitatem argumenti, ad dicendum, ab exedris, aſſumpſerat. Huic ſententiæ adhæſit Stanil. Lubomirius in Artaxerxe & Evandro ſermone de eloquentia, ubi luculenter approbat Ariſtotelis dictum, quòd Oratorum ſit, illa jactare in vulgus, quæ inſania vulgi præconceperat. Ex quo fonte Peripatheticus Orator Oratorum ſtudia, non tam honeſta cenſet, quàm neceſſaria.

Nos autem diverſo rapimur judicio, Nam ſi Orator, inſanam ſæpe, vulgi ſequeretur ſententiam, quandoq́ꝫ contra virtutem, contra DEUM, contra religionem orationē inſtitueret: quāq́ꝫ vulgus fide caret, tam aliena à fide eſſet oratio: cum tamen Ariſtoteles perhibeat, quòd ſemper Oratoribus, ut ariolis credatur. Et qui ſtultorum ſequeretur arbitrium, par quoq́ꝫ ſibi conciliaret elogium. Itaq́ꝫ Orator advulgi opinionem reſpicere nón tenetur, licet

vulgi

vulgi opinione uti poteſt ad probandā ſuam ſententiam, ut DEUS peccatis ac ſcandalis in Eccleſiæ bonum. Addit aſſerto momentum Cicero: qui Oratorem talem eſſe exigit, qui novas opiniones vulgo inſerat, veteres evellat: quòd utiq; non fieret, ſi inſanam ſæpe, ſæpe variam, ſæpe ſibi ipſi repugnantem ſequeretur plebeculam. Quare rectè admonet omnes Soarius, qui eloquentiæ gloriâ inclareſcunt; *quò major ejus eſt vis, eò magis cum probitate conjungenda.* Si autem cum virtute, Rhetorica copulatur, nunquam aliena à virtute promit in publicum. Præterea partium Civilium eſt hoc ſtudiū, nunquam autem ſceleribûs ac flagitiîs ſuſtentantur regna. Igitur nec his ſuffragium, armatus opinione plebis porrigat orator. Itaq; qui ope Rhetoricæ aut falſa dogmata, aut errores tuetur, illisq; lucem eloquentiâ addit, is ita agit ac ille, qui Dialecticâ ad pervertenda hominum ingenia utitur: aut Theologiæ

dat

dat operã, ut hæresibus ferat auxilium. Quæ perversitas humanæ industriæ cũ nec Divinis contemplationibus parcat, quid quæso miremur, si Oratorũ quoq; afflet provinciam? Ex solidis itaq; scientiis, tanquam veritatum armamentariis, materiæ dicendæ copia, educenda est, ut orationis Majestas triumphet. Lumina enim & gratiæ peregrinæ, ac vehementissimus splendor, hac illacq; sparsim disjectus, quoniam ita nonnullis ac præcipue Aristoteli placet, ex Pòësi arguta, aut si quis id nomen approbaverit, ex Rhetorica ingeniosiùs & festiviùs ludente invitabit, dum naturalis splendor, à classicis phrasibus eductus per omnem orationem, moderatè rutilabit.



Colloquium Tertium.

De Inventione pro affectibus excitandis.

JOvita. Hesterna tecum conversatio, me satis erudiit quib9 scientiîs Ora-

tor imbutus ſit oportet, ut cæteros doceat, intellectumq́ auditoris vincat, ſuamq́ ethicam ſvadam faciat. Scio illud pòeticum inter homines verſari.

Sed trahit invitam, nova vis, aliudq́; cupido,
Mens aliud ſvadet; video meliora proboq́;
Deteriora ſequor.

Undè ut Philoſophus, in ſola alienæ mentis innodatione, ita Orator ultra intellectûs victoriam, ipſam quoq́ vagam, ac liberam hominis voluntatem, conatur illaqueare, ac eò ipſo *patheticam* creare ſvadam. In quo maxima vis Oratoris ut conſiſtat, oportet. Hoc ſatis breviter præſcribit in Oratore Cicero. *Duo ſunt, quæ bène tractata ab Oratore, admirabilem eloquentiam faciant, quorum alterum eſt, quod ethicon vocant, ad naturam & ad mores, & ad omnem conſvetudinem vitæ accommodatum: alterum, quod iidem patheticon nominant, quô perturbantur animi & conciliantur, in quo uno regnat oratio. Illud ſuperiùs come, jucundum, ad benevolentiam conciliandam paratũ, quo*

cauſæ

causæ eripiuntur, quod cum rapidè fertur, nullô modô sustineri potest.

Faustinus Rem acu tetigisti Jovita. Affectuum animi, notitiam, ita exactā absolutamq; Oratori vult Aristoteles, ut ne causas, effecta, ac motiva ignorari permittat; quare in hoc tibi abunde satisfaciam. Præmoneo tamen, quāvis rationes ad excitandos motus animi in populo, ex Philosophia Encyclopædiaq; petantur: nihilominus hic seliguntur illa, quæ sua perspicuitate, & vi congenita, aliquando apud Oratores, maximè apud Ciceronem, triumphum egerunt. Sed primò aliqua præmittenda, quæ prudentiâ Oratorē imbuant.

Sectio 19.

De iis quæ requiruntur scienda Oratori & habenda, ut permoveat.

AFfectus est animi quidem impetus, quo ad appetendum aversandumq; aliquid, vehementiùs, quàm pro quieto mentis statu impellimur. Sivè est

commotio appetitus ſenſitivi ad aliquem actum paſſionum humanarum.

Juxta Stoicos affectus hic in 4. provincias disjungitur: gaudio, triſtitiæ, ſpei, ac metui, ſua regna aſſignantur.

Juxta alios, motus animi, in duas familias dividuntur, ita, ut affectui *concupiſcibili* ſint, affinia: amor, odium, deſiderium, fuga, gaudium, dolor, *iraſcibili* verò juncta ſpes, deſperatio, ira, audacia, timor.

Jovita. Quæ ſunt in Oratore neceſſaria ut alios moveat?

Fauſtinus. Hæc omnino Oratorem circumſtare debent, ne non tam Orator, quàm quidam rabula in foro ſit. 1. Probitas & exiſtimatio vitæ bonæ. 2. Ætatis maturitas vel authoritas, quæ ſcientia & virtute continetur. 3. Ut eadem perturbatione incitet ſe Orator, qua permotum vult auditorem, adeo ut ipſe Orator ploret iraſcatur &c. ſeu potius hæc omnia, ſibi polliceatur, perſonam talem induat, qualem habere

vult

vult ex auditore. 4. Videat Orator, quis ad quē affectum est pronus. Undè illum qui nescit irasci, ad iracundiā non accendat, nec ad ploratum severum: aliqui verò, mala educatione vel virtutis austeritate, nullis perturbationibûs agitantur in voluntate. 5. Proponat ambitiosis splendida, eruditis gravia ac seria: adolescentibus læta, fœminis exempla & historiolas. 6. Videat mores hominum: ex observatione enim Moguntinensuum *Galli* candidi, amantes soli, humani in exteros, libertatis suæ tenaces, erubescunt servitutem, inimici fastûs, studiosi honoris & gloriæ, undè vindices cruenti famæ. *Hispani* contrarii sunt moribus Gallis. Subtiles ingeniô, eruditi ad tegenda consilia, ad patientiam indurati; graves, austeri; sui magnifici prædicatores, nec illos paupertas deprimit, aut generis obscuritas. Rudes in arte eloquentiæ, quòd careant morum amænitate, patientes militaris disciplinæ,

inediæ: conſtantes in ſuſceptis conſiliis, armorum periti, imperandi cupidi, odii oſores. *Germani* candidi, obſequentiſſimi imperiis, laborioſi, avidi peregrinandi, & ibi morum externorũ retinentes, ignari perfidiæ, libidinis, ſcelerum, immanium. *Itali* ad omnẽ fortunam idonei, rerum omnium induſtrioſi, laborioſi, lucri ſpe ad humilia ſe ſe demittentes: aſtu potiùs, quàm imperio vivunt, ſeu vitia ſeu virtutes ſequuntur: ſuſpicioſi, qui ſic alios æſtimant ut ipſi ſunt, qui nihil niſi ex conſilio moliuntur: obſervant nutus, oculorum ictus, verborum apices examinant, ac inde opinionem hauriunt. Facilè offenduntur, difficilè injurias oblivi-ſcuntur, tecti ad vindictam, ſub ſpecie amicitiæ perpetuum gerunt odium: reliqua vide in oratione cui titulus Roma perficit artes authore Gviniſio Lucenſi Oratore Romano. *Poloni* ex obſervationibus Haute ville ac cæterorũ libertatis amatores, quàm filiis ſuis à

cunis

cunis commendant, fidei cultores ac rerum ſacrarum cuſtodes ſingulares, humani in exteros: imò in quoscunq; hoſpites ſine ſpe lucri. Non peregrinantur niſi honoris cauſâ: & ſi ipſi regant Rempublicam, legesq; condant, Regem tamen magis colunt, quàm cæteri abſolutum Dominum; non amant promovere limites: in bellis ſi victoriã cæperint, ad ampliandum Regnum arma non proferunt, ut aliquid lucrentur. Non permittunt urbes munitas in Regni limitibus erigi, ne aliquando Rex ſuo milite inducto libertatem in periculum deducat. Nobilitas ſuam juventutem duriùs enutrit, ut ab infantia ad incommoda bellorum aſsveſcat. Liberales, humiles, hoſpitales, nunquã cum exteris amicitiã ineunt lucri cauſâ. Nunquam quoq; ferunt ſuppetias, ſtipendii alicujus, ſed beneficii teſtandi motivo impulſi.



SE-

Sectio 20.

De morum qualitatibus à regimine petitis & ætate.

MOres Regnorum expendimus: at cũ imperia consvetudinẽ agendi immutent ideò hæc Orator habeat præ oculis. Porrò regimen quadruplex est. *Primum Monarchicum* in quo unius frænis, omnia reguntur: hujus finis est Regis Majestas atq; custodia, ob civium in eum amorem & utilitatem. *Alterũ Oligarchicum* ubi paucorum est, ex censu Dominatus, cujus finis paucorum divitiæ. 3. *Democraticum* in quo ad libertatem tuendam, sorte Magistratus dividuntur. Hic quoniam difficile est nosse mores populi, ideò omnia ad libertatem & utilitatem referenda sunt. Ultimum *Aristocraticum*, in quo Magistratus non sorte, sed ob merita dantur, in hoc Regno Orator referet omnia ad honestam institutionem, ad Legũ disciplinam, ad consilium prudentiamq;

sena-

ſenatûs, ad amplitudinem regni, tanquã ad ſcopum naturalem à Conſulum providentiâ pendentem. Sed iſta pauca ſunt, videat Orator *circumſtantias temporis* belli vel pacis, perſpiciat utrum ſeverè imperitatur populo, an indulgenter.

Ætates quoq; examinet: nam *Juventus* eſt iracunda: ultrix, victoriã amat, pecuniam contemnit, ut pote expers inopiæ. Credula quia non dum decepta: ſpe rerum magnarum alitur: honeſtate regitur, magis quàm utilitate: generoſa, impavida, miſericors, faceta. *Senes* ſunt lucri avidi, non facilè iracundi, cupidi vitæ, ſuſpicioſi, increduli, quia periti: timidi, puſillanimes, debiles, queruli, jocorum inimici, prudentes quidem ſed minùs fortes, providi, illiberales, temperantes, loquaces de præteritis, *at Virilis ætas* ex moribus ſenectutis & juventutis temperata eſt. His omnibûs propoſitîs, ne erret Orator, reflectat mentem, ad fortunam,

edu-

educationem, usum, valetudinem auditoris. Nec prætereat Orator, Nobilisnè sit, an ignobilis? an Dives? an potens auditor, nam ut Bulæus habet, *novi Nobiles* de præclarè factis gloriantur, Nobilitatem in una virtute, non avitis avorum imaginibus constituunt. Aspernantur eos, qui avita majorum virtute, non propriâ gaudent, eorum vitia carpunt, se illis præferunt. *Ignobilium* mores describit Cicero Orat: pro Sylla num: 23. pro Sextio num: 50. & 75. pro Roscio Comedo num: 20. *Divites* contumeliosi esse solent, insolentes pauperum despectores, nobilitatem aspernantur, in divitiis summam felicitatem ponunt: molles sunt, jactabundi, cæci in bona fortuna, nihil non pecuniâ moliuntur.

Potentes sunt honoris studiosi, ad retinendam augendamq; potentiam, omnia conferūt: ob dignitates, quas possident, in oculis omnium versantur: incessu, vestitu, vitâ omni, modestè se gerunt,

runt, qui potentia nõ abutuntur. Secus qui perversè se gerunt, non patiuntur se contemni. Item, quia id, quòd ex natura non habent vg. Severitatem, tenentur induere ex officio Magistratûs.

Sectio 21.

De fontibus communibus diversorum affectuum.

PRimus ex vultu & oris forma vel descripta vel in se præsentata. Undè sciendus est habitus varius, pro varietate affectûs: nam iratus spirat minas, micat oculîs, ac supercilio minatur, armat manum ferrô. Jam misericors, ore pallet, cui vultus pendet, facies confecta macie. 2. Ex virtute, morib9, studiis. 3. A fortuna undè iracundia rectè sumitur. 4. Ab ætate juvenili vel senili. 5. A Patria læsa, vel promota, vel defensa, aut defendenda. 6. Ab imbecillitate Sexus. 7. A communione Sangvinis & affinitate Parentum liberorũ. 8. A loco digno vel indigno. 9. A temporis

poris diuturnitate vel brevitate vel commoditate. 10. A causis, cur aliquid factum aut toleratum sit. 11. A modò, quô res aliqua fit vg. mors vel supplicium. 12. Ab imagine seu prosopopæia, cum quis vultum sibi fingit amici mortui &c. 13. A similitudinibus rerum naturalium.

Sectio 22.

De modo commutandi affectus seu motus.

MUltum interest, ut probè temperentur affectus: nam neq; plurimi debent esse vehementes motus, sed neq; statim discedendum ab eis, sed versandi sunt variè auditores affectu: itaq; svavibus acres, & acribus svaves, ut in conviviis cibi misceantur. Varios enim, varii stimulant affectus, & dispar est naturæ indoles in omnibus; adeoq; irã miseratio; miserationem, amor vel alius motus sequatur. Hujus enim interpolati studii Verrina 1. magnũ exemplũ est,

eſt, in qua, commiſerationi indignationem, cum exclamatione, & huic invidiam, invidiæ ſubdit iram Cicero.

Sectio 23.

De amore humano, incentivo amoris, & effectis.

AMor alius à natura promanans, Sympathiæ infundatur, aut vi alicui occultæ: ut inter ferrum & magnetem; & in Parentibus ergà prolem. Alius humanus, qui eſt propenſio in bonum, quatenus illud bonũ cognoſcitur, qui vel in bona nobis delectabilia, & utilia ducitur, vocaturq; *concupiſcentia*, vel in virtutem; quo deſideramus alteri ſuperfuſam bonorum copiam *& amicitia dicitur.*

Cauſæ generantes amorem ſeu incentiva. Ab honeſto ducta ſunt, virtus, probitas: dotes animi & corporis, Juſtitia, prudentia, temperantia, modeſtia, comitas, honeſtas, affabilitas, innocentia,

con-

constantia, fidelitas, simplex urbanitas: famæ integritas, facilis oblivio injuriarum, bona intellectûs, artes, scientiæ, si sit insignis in arte: si suo beneficio emerserit è tenebris: si meritis labore, industriâ, non adulatione, aut emendicato favore, evectus sit ad dignitates.

Ab jucundo: amor ejus, apud quem conciliatur amor; bonorum & malorum communicatio: morum similitudo: studiorum similitudo, fiducia: periculorum similitudo: familiaritas & domestica consvetudo: alienæ virtutis commendatio: studiorum imitatio: injuriarũ oblivio. Dotes corporis ut venustas oris, vultus serenitas: robur: exercitationes; dexteritas, habilitas ad artes: bona fortunæ ut divitiæ, nobilitas: si non superbiat: non insolescat: si liberalis sit, si magnificus, si munificus.

Ab utili. Beneficia, grati animi significatio: si ostendatur Religioni, Patriæ, familiæ, necessaria persona.

Effecta seu descriptio amoris.

Amor

Amor lacrymatur, lacryma eſt ſangvis cordis: flammis uritur: rei dilectæ causâ, vulnera ſuſtinet: pauperes & abjectos non abhorret: vota varia elicit, expoſtulat, querulatur: dolores exprimit: quandoq; mortem cauſat.

Amor malus ſeu impurus Blandus eſt & ferox: dives & inops, timidus & audax: fortis & impatiens: obſcurus & candidus, veri falſiq; amans, ſecreti cuſtos & proditor: humilis & altus: Sobrius & nunc ebrius, nunc accuſator nunc reus: iocatur, ludit, pallet, tabeſcit, ſuſpirat, obſequitur, tentat, decipit, promittit, dat, tollit, blanditur, & furit.

Effecta amoris boni & mali.

Amor ſimilem ſibi repræſentat: eſt ſimia morum amici: comes & contubernalis amantis aſſiduus; prodigus, amor nihil habet ſuum: præco amatæ rei: ægrotus, quia curâ & doloribûs ſæpè langueſcit, ſtultus, quia ſtultè ſæpè ineptit: inſomnis & vigil: mutus

est modò, qui loquax fuit. Timidus amici causâ: audax ad periculum: suspicax, contemptor sui, mortis, Parentum, periculorum, constans periculorum socius; amor obliviosus: item exercitationes, studia, assumit nova: amor sui ostentator ac superbus: iracundus, si sit contemptus: exprobrat vehementiùs beneficia, si sit in odium versus: desperat & mortem optat, ubi DEUS non fert optata subsidia.

Remedia amoris improbi.

Amoris deformitas: rei amatæ vitia: si incutiatur suspicio amanti, aut perfidiæ, aut doli, aut frigidioris animi: aut injuriæ profectæ ab eò, quem diligit: si adducatur ad desperationem rei optatæ consequendæ: si ostendatur nihil inesse commodorum, nihil jucunditatis, nihil utilitatis, in dilectione rei: amoris ineptiæ ostensæ; quod langvescat; quod puerilem naturam induat: quod sit erraticus: fastidiosus: inconstans: quod servituti subiciat, vitiis ser-

ſerviat. Sed non minus amori antidotum huic erit, ſi Orator perſvadeat, ut qui hîſce vinculîs implexus eſt, reſiſtat amoris principiîs: ad ſtudiaq; honeſta, ſe ſe detorqueat: aliò cogitationes traducat, locũ mutet: quæ omnia medicinam ſalubrem afferunt.

Sectio 24.

De Odio.

ODiũ eſt affectus animi, quô ſe avertit ab eo, quod eſt malum, aut mali opinionem menti ingenerat.

Hoc odium, ſi ab antipathia ortum ducit, *naturale* eſt: ſi ex abundantia atræ bilis profluit *melancholicum*: ſi ex ingenii naturalis immanitate, quæ in mortuos quandoq; ſævitiam expedit, *Ferinum*: ſi ex cauſis humanis, quaſi ſcintillis ſurgit in flammam, *humanum* dicitur. Hujus excitandi, uſus Oratoribus familiaris eſt. Equidem hoc ultimum in duo capita dividemus: *unum* erit *rationale*, quô rem turpem vel perſonam, deteſtamur,

ſtamur, quô vitia perſequimur: alterũ *abominationis*, quo rem aliquam, ut malam, nobis injucundam, laborioſam, gravem, periculoſam, damnoſam, fugimus & deteſtamur. Utriusq́ excitandi ſequentes ſint fomites.

Incentiva odii.

Odium excitabit Orator, ſi veluti folles admoverit, incommoda nobis illata, in bonis fortunæ, corporis, & cæteris: ſi artificia calumniarum aperuerit: ſi vitia, libidinem, audaciam in malum, impudentiam, injuſtitiam, ſuperbiam, & inſolentiam, crudelitatem, & avaritiam, ingrati animi labem & nimiam potentiam, impietatem in Parentes, & ſorditiem, illiberalitatẽ, pate faciat. A contemptu illato; fortiter equidem excitatur odium, ſi ſpecies, lædentis perſonæ, indigna, crudelis, ac funeſta, deſcribatur, ſi vitia recenſeantur, maximè in Deum, in Parentes, in Patriam, perpetrata. Hic juvat cõparatio, dignitatis læſæ Perſonæ, ac innocen-

nocentis, cum lædentis indignitate: comparatio improbitatis, cum reliquis flagitiosis: per hypothesim descriptio: anthitheses, exclamationes, apostro-(phas.

Remedia odii.

At odium leniunt, aut evellunt, sequentia motiva: generosi animi est diu odium retinere non posse. Hoc cum mærore, metu, suspicione est conjunctum. Sed hæc ultra, causas exorti odii expendat Orator, atq; si vitiosè susceptum est odium, deleat ex animo sed cautè, ita ut laudet à principio inimicum, demum ostendat errare. Si ex illata injuria, gliscunt odia, minuat injuriam. Sæpè repentina commiseratio, lædentis dolor, ac pænitentia explicata, sæpè pietas ac preces, & lachrymæ, motum hunc deliniunt. Doceas, quantùm sibi noceat, qui alios odit: doceas sapientis esse, potius dolere vitia hominum, quàm à Persona cor avertere: maximè si pietas excitetur: si lædens è fortuna florente fiat inops. Si hæc in

caſſum abeunt, obſtruatur, cupiditas fons & origo odii.

Effecta odii.

Sed ut à radice ſurculi, ita ab odio quædam proferuntur effecta. Hoc enim imprecatur, nocet, ulciſcitur, exprobrat ea per exclamationem, quæ pudorem inferunt: convitiatur: minatur mala: teſtatur ſe nunquam etiam poſt mortem odium poſiturum: ubi minæ nil profuere, profeſſione odii paſcitur, in pernicie triumphat. Vindictā perpetrat, cum ſuo periculo: leves omnes pænas, quas infert autumat; inexplebile eſt, neminem enim in ſocietatem inimicitiarum admittit: cupit ut tranſeat ad nepotes, ſitq; immortale odium. Hoc præcipitat in omnia ſcelera & veneficia, deſperat non exactæ vindictæ cauſas, cujus tamen ſpe conſolatur: conſortia aliorum devitat, tanquam amicitiæ venenum. Hacce odii expreſſione pleni ſunt tragici Pòëtæ.

Sectio 25.

De desiderio & fuga.

DEsiderium est cupiditas boni absentis. Fuga verò est recessus à malo detestationi ejudem innixus.

Incentiva desiderii.

Pulsat voluntatem vehementiùs, laus, præstantia, magnitudo, ac honestas rei: & non modò spes ad consequendum bonum erecta, verùm rei difficultas quæ sæpè ad sui consecutionem exaggeratiùs impellit. Jam *reprimet* Orator *removebitq́;* desideriū, si ea contulerit, quæ ingenerando odio inserviunt: quæ etiam impellunt ad fugam rei concupitæ.

Effecta desiderii.

Germina autem, quorum desideriū ferax est, vix enumerari possunt: anxia enim rei concupitæ cogitatio: somni violenta sectio & recisio, per somnium rei desideratæ repræsentatio, lucra sunt desiderii. Nec illa solum:

qui enim hocce motu in fascinatus est, loquitur secum, loquitur cum sylvis, cum rupibus, cumq; omnibus, à quib9 mellitam solatii guttam sperare potest. Adde hic vota frustranea; adde suspiria: adde rerum aliarum fastidia. Mæror fronti incubat: impatiens sermo vehementiùs exaggerat rei absentiam, ac media in eum finem consequendum impensa: relegit desiderans littora, ac loca, fastidii pellendi causâ: æstuat, quærit: longitudinem dierum incusat: impotens animi ac impersvasibilis: in votis varius est, ut in Virg: o! mihi præteritos referat si Jupiter annos.

Sectio 26.

De Gaudio seu lætitia.

LÆtitia, medicina quædam Corporis est: juxta id.

Si tibi defuerint medici? medici tibi sint hi.
Mens hilaris, motus, requies, moderata diæta.

Sed animum intremus. Lætitia est opinio recens boni præsentis, in quo

efferri

efferri rectum esse videtur; vel est tranquillitas animi, in bono præsenti, svaviter acquiescens.

Motiva Lætitiæ.

Concitat hanc malæ fortunæ in meliorem mutatio: comparatio nostræ florentis sortis, cum aliena: insperatū, bonum, omnem prævertens opinionē: virtus ac conscientia bona: ad extremum amænitas descripta florum, gemmarum &c.

Removet autem & comprimit gaudia.

Vanitas rei, ob quā lætamur, multò magis turpitudo: inconstantia, fortunæ ac varietas: adjunctus gaudiis mæror: timor rei amittendæ: spes & cupiditas majorū bonorum: imò extenuatio dignitatis, possessioni rei copulata.

Effecta Lætitiæ.

At uberiora sunt, quæ à lætitia promanant, quæ in corpore & animo suā vim opulentiùs exercent. Etenim unde *in Corpore*, lachrymæ, deliquia mors quandoq; undè venustas oris, color

faciei

faciei pulcher, tripudia, choreæ? non ne ex lætitia? undè in *animo* securitas omni dolore, timore, cura, expedita? undè candor, ſimulationis ac fuci expers? ſi non ex animi tripudio. Lætitia ſpem excitat rerum multarum, amorem rei imprimit: & ſibi aggratulatur, & idem officium expectat ab aliis. Pauca hæc, qui gaudiîs perunguntur, optant ſoles ſibi fulgere, terram florere: præteritorū recordantur periculorum: & niſi garruli ſint, lætos non exiſtimes.

Sectio 27.

De triſtitia ſeu dolore.

TRiſtitia eſt ſenſus, ſeu opinio præſentis mali.

Cauſæ Doloris.

Imprimit Orator dolorem auditori, ſi per hypothypoſim calamitatem deſcribat: conſangvineorum vincula exponat, rerum chariſſimarum jacturam, oculis ſubjciat.

Lenit

Lenit autem dolorem.

Innocentia afflicti: vitæ humanæ conditio adversitatibus exposita: fortunæ inconstantia, & levitas; patientiæ, exempla ab aliis melioribus ducta: messis gloriæ, cujus semen tolerantia est. Non hæc solùm: clypeus quidam, malorum præsensio est: antidotum æqualitas animi, in omni fortuna: inutilis lacrymarum jactura: conformitas cum voluntate DEI: studia literarum: doloris socii, medicina tristitiæ sunt: nec modicè levatur animus, si persvaseris inutiles lacrymas, si ploret tristis. Si ob mortem oriatur, ostendatur status melioris vitæ.

Effecta doloris.

Hæc ægritudo animi causat labem, cruciatum, afflictionem, fæditatem, lacerat, exestq; animum, & conficit, animo alacritatem adimit: delectatur lacrymis, respicit solatia conquisita. Stuporem & silentium parit, exhaurit, lacrymas, & lapideos homines facit.

In se

In se ipsum quoq; qui dolet sævit, lacerat capillos, percutit pectus, contrahit frontem: dejcit lumina, solvit mēbra ac potissimū brachia, corpori langvorem immittit, odit lucem, in sylvas se abducit, ut lacrymis indulgeat: supprimit ingenium, ut limus fontem: querulatur, loquitur: incusat calamitatem ceu inopinatam: emollit vires animi: meticulosos efficit: pristinam felicitatem in memoriam revocat: desperat aliquando, tædio vitæ afficitur: invehitur acerbiùs in eos, qui sunt causa doloris: profitetur plerumq; sibi animum præsagum calamitatis fuisse. Ultimò claudam, dolor ingens diuturnitate temporis crescit, levis minuitur.

Sectio 28.

De Spe.

SPes est animi motus in bonum absens arduum & difficilè, sed tamen, quod labore quæri potest.

Causæ

Cauſæ ſpei.

Excitat ſpem, boni honeſtas & magnitudo, opes & præſidia, quæ terrorem oppoſito adferant: vires corporis: prudens imperatorum ſolertia, ac prudentia: amicorum multitudo: experientia ducis fortis, ac ſapientis: viæ faciles ad rem conſequendam: rei facilitas: adverſariorum imbecillitas: experientia aliorum: proſperè ab eo geſta, cui ſpes injcitur: propoſita præmia: innocentia vitæ, favor divinus: iracundia demum ſi ad eam excites.

Spem minuit.

Defectus virium corporis, laboris, induſtriæ, rei difficultas inexpugnabilis: præſens malum: imago malorum repræſentata, quæ animũ detrahit, rei difficultas inexpugnabilis; imperitia ducis: crebra fortunæ mutatio oſtenſa: demum ſi dicat Orator nulli rerũ apparatui fidendum eſſe, ſæpeq; ſpes nimia præcipitem agit præfidentem.

Sectio 29.

De Desperatione.

IN desperationem impellunt Oratores, quoties volunt abducere à periculoso cæpto negotio: qua in re parvus fructus & ingentes difficultates exponuntur. Est autem desperatio, boni obtinendi, vel mali depellendi diffidentia.

Excitat Desperationem.

Si dicat Orator, nullum esse subsidiū, perfugium, occlusos omnes fugiendi aditus, adipiscendi omnes obseptas vias, nullam salutis expediendæ rationē: si augeat difficultatem, minuat autem vires in ea superanda: asseverantiùs perhibeat frustrandum boni vg. famæ honoris desiderium. Dejicit quoq; animum inveterata, sæpiusq; repetita calamitas, quâ supponimus omnia parem habitura eventum: dejcit & ignavia.

Removet autem desperationem.

Ostensa rei facilitas: culpæ diminutio:

in DEO habita fiducia: & ea, quæ ſpem augent.

Effecta deſperationis.

Sunt deteſtanda. Etenim qui deſperat, mortem meditatur, tanquam infamiæ medicinã: captat ſolitudinẽ: vultu mutatur: facie pallet: oculis trux, micans ac ſcintillans: vultu pendet: dumq́ꝫ, metus in ſtuporem abit, nimium ſecurus eſt: aliquando vincit hoſtem, deſperatione armatus: vindictã cupit, quàm ut conſequatur omnia ſcelera admittit: tripudiat in ultione: gaudet ſuorum ſpectatorem ſcelerum, habere eum, qui author fuit deſperationis: nulla expletur crudelitate! exprobrat vehementer & efferatur in affligentem: admonitionibûs irritatur potiùs, quàm compeſcitur: omnia negligit: pericula, clades, fortunam ſævientem, non reformidat.



Sectio

Sectio 30.

De Metu.

Metus eſt animi motus à natura inditus, ut mala priùs diſcamus fugere, quàm evenerint: ſervit deliberationi: ad quem injciendum, ſciat Orator, quô quis ducitur: ut honeſto, obiciat honoris jacturam, divitiarum amiſſionem avaro:

Excitat metum.

Periculi vicinitas & magnitudo: rerum nobis cariſſimarum jactura: portenta & prodigia, ac ſigna malorum impendentium ut cometæ, tonitrua. Demum timorem incutiunt, qui nocendi poteſtatem habent, qui innocenter afflicti, ac virtute & probitate conſpicui: qui præter poteſtatem voluntatem habent nocendi: qui injuriam accepiſſe ſe putant vel qui intulerunt eandem, ne iterum inferant. Timendi ſunt, qui de honore certant, ne fraude circumveniant: ſcelerũ noſtro-

rum conſcii, ne ea detegant. Timendi, qui tranquillè diſſimulant, ſedati, ac lenti ſunt, nam pronus ad iracundiã & liberè loquens vix timetur. Cauſant quoq; animi horrorem, improbi, cum omnia faciles audeant: nec minùs mali præteriti recordatio.

Timor ſedatur.

Reſtingvitur timor iîs, quibûs ſpes erigitur, tum ideò excludendus, quia nos miſeros ante caſum facit: ſi quis ſpe boni, non ducitur, timor affert remedium: ultrà hæc facilè idē motus reprimitur: præſentatâ, alienarum viriũ infirmitate: præmeditatione futurorũ malorum: promiſſione opis & auxilii Divini, bonâ conſcientiâ: ſpe melioris fortunæ.

Effecta timoris.

Pavoris effecta ſunt pallor: genuum cadentiũ fracta debilitas: horror corporis: ſudor; ſomnus inquietus & vigiliæ, ſollicitudo diſcrucians, interpretatio ſiniſtra rerum: fuga, rumorum

diſſeminatio: horror ad omnem mali auram: ſæpè ignavia, ſæpè audacia, timor, ſæpè ſenſum & vocem adimit: declinat eos à quibus timet: querulatur: mortem optat: vota facit.

Sectio 31.

De Audacia ſeu confidentia.

AUdacia eſt rerum horribilium contemptus.

Ultra ea quæ ſpem erigunt, concitant audaciam ſequentia: erectus in periculis animus: aſſidua meditatio periculi: ejusdemq́ extenuatio: difficultas, media ex parte ſuperata: vincendi ſubſidia: favor Divinus: rei indignitas quàm patimur: neceſſitas pereundi aut vincendi: cauſæ ſuſceptæ, pro qua audes, honeſtas, innocentia, æquitas: ſpes victoriæ, avita majorum virtus in mentem revocata: ſpes mercedis: Laus virtutis, & gloriæ cupiditas: Divina monita vel humana deſperatio ſæpè audaciam parit. Sed

Audaciam reprimunt.

Pericula exposita: ac explicata audenti, propria virium imbecillitas: exempla temerarii ausûs, cum nocumẽto conjuncta: fortunæ ludentis inconstantia: rerum omnium fragilitas.

Effecta audaciæ.

Audax paratus ad pericula: hæc ridet & contemnit: bellandi avidus: quærit novam occasionem bellorum, amat pugnas fictas & ludicras: in superbiã elatus: rebus arduis delectatur, rerum à se gestarum præco: spei plenus & fiduciæ: securus: primæ virtutis memor & cupidus: famæ ac nominis parti retinens: contemptor mortis.

Sectio 32.

De Ira.

IRa, Aristoteli, est ulciscendi sui cum dolore conjuncta cupiditas.

Incendit Iram.

Opinio injuriæ & contemptus: hostis nostri in adversis gaudium: perso-

næ contemptæ dignitas: levis causa contemptûs: frustrata spes auxilii & honoris: artis contemptûs, in qua quis excellit: amicorum despicientia: personæ contemnentis abjecta conditio: maledicta: oppositio nostris conatibus: fraus & mendacium: ingrati animi labes: officii negatio: obtrectatio.

Restingvit Iram.

Personæ conditio, uti pueri, senis, matronarum: potestas veneratio & dignitas personæ, cui quis irascitur: injuria priùs illata: animi demissio: inimicorum incommoda, mala: temporis ratio, nempè dum aliquantùm ira deferbuit: impotentia mentis, si quis ex ira injuriam intulerit: defectus proprius, qui causam dedit, indigni contra iratum facti: damna irascentis hominis, personæ lædentis conditio, ut juventus, infirmitas; matura resistentia: iræ fæditas: culpæ cognitio: ultimò quia proprium est viri fortis iram vincere.

Effecta

Effecta Iracundiæ.

Animi perturbatio: vultûs deformitas: ardor oculorũ: mentis impotentia: ulciſcendi cupiditas: ficta pax: deſperatio, ſi non poteſt ulciſci: imprecatio per contumelias: indignatio contra DEUM, qui vindictam ſuam moratur: terror & minæ: de vindicta gaudium & ſolatium: contemptio eorum, qui contemnunt: loquacitas.

Sectio 33.

De Manſvetudine & Clementia.

HÆc Ariſtoteli eſt motus iræ contrarius.

Cauſat Clementiam.

Depoſita contemptûs ſuſpicio: criminis confeſſio: humilitas & animi demiſſio: beneficiorum commemoratio: amoris blanda ſignificatio: caſus lædentis & pæna gravior: virtutis in lædente commendatio: metus iratis objectus: à lædentibus: deſperatio exẽplum præſtantis viri: animi de ſe tri-

umphantis magnitudo: lenis ſeveritas.

Effecta clementiæ ſatis deſcripta à Claudiano in Theodoſio.

Servat inoffenſam divina modeſtia vocē
Temperiem ſervant oculi: nec lumina fervor.
Aſperat, aut rapidas diffundit ſangvine venas
Nullaq; mutati tempeſtas proditur oris.
Quin etiam ſontes expulſâ corrigis irâ.

Sectio 34.

De Miſericordia.

CLementiæ, miſericordia vicina eſt, motus animi, ſeu dolor, excogitatione mali, alterius injuria laborantis, ſuſceptus, & quo ſe vel ſuos affici poſſe videtur.

Concitat miſericordiam.

Fletus, ſinè quo riſus ſæpè movetur Auditori, qui ſi in re non ſit, debet tamen Orator ſibi polliceri. florentis fortunæ mutatio in adverſam: ſenectus calamitoſa: mors propinquorum & orbitas: corporum vexationes, flagella

&

& morbi, inopia rerum, cibi; exilium; circumſtantiæ perſonæ, loci: perſona cruciata per proſopopæiam inducta: ætas, ut ſi adoleſcens tollatur: locus, ut ſi quis, coram eis patiatur, quos nollet ſuæ calamitatis, eſſe teſtes: petitionis modeſtia: comparatio doloris & ærumnarum: deprecatio per quæq́; chariſſima: ſermocinatio, cum inducuntur per ethopæiam læſus ac lædens loquẽtes: ſigna quædam externa vel imago quædam mortui, plagæ, vulnera, claritas bello & pace: ſtatuæ & monumenta in ſignum rectè factorũ poſita: mores candidi, mites: clementia: miſeri hominis affabilitas: merita ejusdem in patriam, in Religionem: ſi afflictæ familiæ, inſultent inimici: ſi occiſus in templis, in ædibus propriis, in conviviis, in ſpectaculis, nuptiis, natalibus liberorum: finis expoſitus, ſcilicet cauſa ob quàm quis patitur: extra ordinarius vexationis modus: violatæ in ejus cauſa leges: ordo judiciorum non ſer-

vatus:

vatus: si in crimine communi nova quæstio constituta sit: fletus liberorũ amicorum conjugis: hæc omnia, ab Oratore exposita multum ad ciendam misericordiam valent.

Effecta misericordiæ.

Qui miseratione ducitur luget, languet, gemit, querulatur, deliquia patitur, habitu corporis totus lugubri: dolore pascitur, delectatur historiis tristioribûs: facilè compatitur: sensum in alieno dolore exhibet.

Sectio 35.

De Indignatione.

INdignatio est dolor ob secundam, alterius fortunam, qua reputatur indignus: bona autem hæc sunt non animi nec naturæ, sed fortunæ: ut divitiæ, potentia, honores, multitudo amicorum.

Excitant Indignationem.

Vitæ sordes, cum præsenti potentia comparatæ: prodigalitas, in luxu, conviviis,

viviis, lusu: rerum secundarum insolentia & malus usus: contentio inferioris, cum superiore: divitiarum & honorum, possessio, citra meritum: nobilitas sceleribus conjuncta, item ignobilitas in audaciam & flagitia effusa: superbia: crudelitas: in rebus secundis insolentia.

Mitigat indignationem Orator

Si dicat, præclarè gestîs, bonîs artibus, ingenii viribus hæc bona possideri. Quòd nobili hæc fortuna à natura tribuatur: quòd pridem ille possederit: quòd non arrogaverit sibi: vel ex illis bonis non superbierit: non insolens in meliori fortuna factus: si probaverit ejus indolem esse egregiam, nec omnibus patere, si edixerit plebẽ nullô judiciô, sed temere de potentioribus judicare solere: ostendendo quãta moderatione utatur in altissima fortuna, quàm sit modestus, in victu, vestitu, quàm commodîs moribûs, clemens, beneficus, memor acceptorum beneficiorum.

Effecta

Effecta indignationis ea ferè sunt, quæ iræ: addi possunt: obtrectatio etiam in cæleste Numen: exprobratio beneficiorum, vitiorum.

Sectio 36.

De *Invidia*.

INvidia est dolor animi de prospera alicujus æqualis sorte, quâ putamus nostram deprimi dignitatem: non ut qui invidet, ea bona possideat, sed quia nollet eos, quibus invidet, ea bona possidere.

Concitant invidiam.

Bona malè parta, aut immerenti collata: insolentia ob secundam fortunam: honor præreptus: studiorum æmulatio, maximè eloquentiæ: si dolîs & fraudibûs honorem sibi peperit, aut gratiâ paucorum non virtute: si in sua arte nihilo antecellit, vel certè à pluribus superatur, si alienæ laudis æmulus dicatur: si obtrectator: ambitiosus, superbus, contemptor aliorum:

Sedat

Sedat invidiam Orator.

Si bonũ quòd invidetur imminuat, ſi merita extendat: ſi nulli factam injuriam demonſtret, ſi oſtendat, quòd illa felicitate moderatè utatur; ſi doceat magnam virtutem eſſe non invidere ſorti aliorum: ſi doceat invidiam magnitudini animi adverſari: ſi oſtendat mala invidiam comitantia, eum cui invidetur non privata bona ſed publica commoda, honoresq́; Patriæ quæſiiſſe: non illâ abuti fortunâ: ſi conferat mala, ac labores, quos in comparanda ejusmodi fortuna pertulit: ſi demonſtraverit difficilè in magna fortuna conſtituto, hominũ invidentiæ non exponi: ad extremum ſedat invidiam commemoratio bonorum & malorum permiſta miſeriis fortunæ.

Effecta invidiæ.

Invidia quaſi tinea arborem, ſic ſuum Authorem rodit: eſt carnifex aliorum: Crocodilus: virtutis inimica, jactat ſuam virtutem: vetera commen-

dat

dat & nova deprimit: superioris impatiens, qui invidentis gloriam obscuret: alienæ felicitatis hostis: sæpè est cædis parens.

Sectio 37.

De *æmulatione.*

ÆMulatio, est dolor animi ex aliena sorte susceptus, non quòd illa alteri contigerit, sed quòd nos illâ careamus. Hic affectus omnino bonus est: ita ad bonos mores pertinet, vel saltem ab hominibus laudabiles: undè tunc non nisi est infelix æmulatio, cum aliorum fortunam honores & gloriam, per fas & nefas nobis optamus contingere.

Ad æmulationem própensi sunt magnanimi duces, & qui de se honorificè sentiunt.

Incendit æmulationem.

Majorum & Parentum virtus: clarorum virorum egregia facta: nominis decus & ornamentum.

Tollit æmulationem Orator.

Si inducat ad Laudis contemptum: ad rerum externarum, fortunæ honoris despicientiam: ad contemptum eorum, qui laudem exageratiùs consectantur, atq; ob fortunam & honorē nulli labori vigiliis parcunt.

Effecta æmulationis.

Ea ferè sunt quæ invidiæ: benè hæc descripsit Claudianus. In 4to Honorii consulatu.

Per strages equitare libet, da protinus arma
Cur annos objicis? pugnæ cur arguor impar.
Æqualis mihi Pyrrhus erat, cū Pergama solo.
Verteret & Patri non degeneraret Achilli,
Deniq; si Princeps castris hærere nequibo.
Vel miles veniam.

Sectio 38.

De Pudore & verecundia.

UErecundia est dolor animi ex malis præteritis præsentibus vel futuris quæ infamiam inferunt.

Excitat Pudorem.

Timiditas ex qua miles arma projcit: leni-

lenitudo; negligentia, ac remiſſio in agendis: audax temeritas: & impudentia, ſeu nimia ſecuritas: ingrati animi labes: contemptus vel factum contẽptibile: levitas & inconſtantia: injuſtitia, ut ſi quis non reddat depoſitum: avaritiæ ſordes: imbecillitas animi, cũ adulti id ferre non poſſumus, quòd fecerunt ſenes, pueri, ac delicatiores: facti vel rei alienæ turpitudo, quam, dum de alio referimus, tenemur indignari, & tota mente abhorrere, quô majorem ſceleratis pudorem cauſemus: fuga ex acie: hoſtis non repulſio; aut permiſſio, ut liberè graſſetur, temeritas facti & impudentia expoſita: ingrati animi labes exprobrata: exprobratio vitiorum naturæ ut ſi quis ſtupeat ingenio & cætera.

Dum autem aliquis non audet optimam rem, ita diluetur pudor.

Incendit itaq; ad bonum.

Commendatio rei bonæ vel facti: repræſentatio, quòd pudor ſit virtutum

cuſtos

custos, sed modus ei adhibendus: damna repræsentata; ex effectuum congerie procedentia ex vitioso pudore; exempla allata illorum, quibus pudor imbecillis obfuit: præsentandum, quid ille in difficilioribus ageret, si non audet in minoribus.

Effecta Pudoris.

Oculorum demissio: rubor ac totius vultûs mutatio: silentium: orationis usus: imprecatio & obsecratio, qua se obligat, ut omnia ferat, quàm aliquid contrarium pudori admittat.

Sectio 39.

De Gratia.

GRatia duo significat, beneficii collationem, gratis factam: & grati animi testificationem ac beneficium redditum.

Conciliat gratiam.

Accipientis personæ indigentia, ut paupertas, nuditas, &c. res ipsa exigita, quæ quò major est, eò major gratia: tem-

temporis conditio vg. egeſtatis, belli, quæ rem parvam, magnum facit beneficium: dantis perſona, ſi nimirum primus, ſi ſolus, vel cum paucis: ſi magna præditus authoritate, beneficium conferat, id auget meritum: uti & modus vg. celeritas in conferendo gratiã: locus etiam, conciliat gratiam: finis collati beneficii.

Removetur gratia ſi dicatur.

Quòd beneficium contulit ſpectando ſuam potiùs quàm alteriùs utilitatẽ: quòd ſit datum fortuitò, ut quis effringens carcerem, Patris cauſâ, reliquis viam aperiret: ſi inutilis gratia aut perniciofa oſtendatur: ſi non dederit, ſed reddiderit beneficium obligatus, uti filii nunquam gratiam faciunt Parentibus: ſi eadem vel majora inimicis noſtris fecit beneficia.

Sectio 40.

De leni motu.

HActenus de vibrantioribꝰ diximus no-

nostræ voluntatis affectibus: nunc de leniori motu agendum est, quô auditoris animus veluti balsamô quodam delinitur, magisq; ad hilaritatem ciendam in auditore spectat, quā ad aliquid severiùs. Equidem hi rectè sumuntur ex Epigrammatis Pòëtarum jucundissimis, rectè quoq; ex soluta Pòësi,(qui in exigua quantitate sæpè, in majori verò aliquandò corrivantur in orationem) in qua & fontes ejusdem pernoscendi. Hic lenis motus Oratoribus dicitur jocus, sales, facetiæ: argutiæ Oratorum: imò lumen orationis: pòëtis verò usurpato jam nomine *conceptus*. Hic locus & facetia aliquando seriis rationibus intermiscenda est; nam satietatem tædiumq; amovet: multumq; Oratorem juvat. Ciceronis enim urbanitas, Muraenam Catoni gravissimo accusatori eripuit, & Flaccum unico ridiculo liberavit. Exclusis itaq; scurrilitate, sannis, mordacitate, & scommate, uti potest Orator jocis sequentibus. Primo

urbanitate, qui eſt ſermo præferens in verbis & ſono, uſuq́ꝫ, proprium vocis guſtũ, & ex converſatione doctiorum, tacitam eruditionem. Exemplum præbet Martialis.

Litigat & podagra Diodorus Flacce laborat.
Sed nihil patrono porrigit, hæc chiragra eſt.

2do. Cavillatione neceſſaria ad genus judiciale, qui eſt jocus æquabiliter fuſus per omnem ſermonem.

3tio. Venuſtô, quòd cum lepore ſvavitateq́ꝫ dicetur ut illud Martialis.

Semper agis cauſas & res agis Attale ſemper.
Eſt, non eſt, quòd agas, Attale ſemper agis
Si res & cauſæ deſunt, agis Attale mulas.
Attale ne quòd agas deſit, agas animam.

4to. Salsô aliquo, in Marti.

Sexte nihil debes, nil debes Sexte fatemur.
Debet enim, ſi quis ſolvere Sexte poteſt.

5to. Fabulâ, hiſtoriâ imitatione morum jocoſâ. *6to.* inverſione cum priora poſteriora facimus & conjuncta diſſolvimus. Sic Camillus Querinus Pòeta dixit.

Archi-

Archi-Pòëta facit versus pro mille Pòëtis
Subjecit Leo Pontifex.
Et pro mille aliis, Archi-Pòëta bibit
Institit Querinus.
Porrige quòd faciat mihi, carmina docta falernum, Respondit Pontifex.
Hoc etiam enervat debilitate pedes.

6to. Irrisione; ut Cicero deridet consulatum Vatinii, qui non ità risu dignus est. *7mò.* Figurâ suspensionis. *8vo.* Paronomasiâ junctâ acumini. *9no.* Ethymologiâ; reliquisque quæ festivitatem procreant.

Horum affectuum notitia præ oculis habenda est. Ultra enim cæteras necessitudines hìc allatas, hoc commodi evenit, quòd multa, quæ Critici tanquam vitia Oratoribus oggerunt ad hosce voluntatis motus, ceu ad scopulum disturbantur.



COLLOQVIUM QUARTUM
De Sophistis.

Sectio 41.

Austinus. Habes jam Jovita, veluti in tabella propositum, quid Oratori adnitendum, qui ad perfectionem svadæ contendit: habes voluntate Tullii exclusam Epicuri Philosophiam utpote Oratori inutilem; habes apertam affectuum provinciam, aliqua persequar quæ ab hac eloquendi arte, seu stolones ab arbore, aut ulcus, à sano corpore, promanarunt Noti sunt tibi Sophistæ, quos argumentosa apis Philosophia, monstroso produxit partu, quasi fucos alvearia, qui cùm in veritatem sævirent, rejecti ab indagratrice rerum scientia. Origo eorum incognita, vis tamen tanta fuit ut suis orationibus facundiã Socratis oppressissent, quem teste Vossio à duobus Sophistis supe-

ſuperatum, cùm dedecore ad cicutam, Atticæ juſtitiæ Antiſtites damnarunt, aptiorem tutandis pecoribus quàm clientum cauſis, erroneè cenſentes: apud Platonem quoq;, ita Cliniam juvenem circumvenerunt, Euthydemus & Polus Sophiſtæ, ut hujus problematis: Qui ſunt qui diſcunt an *ignorantes diſcunt, an ſapientes*? utramq; partem & affirmare & negare cogeretur Clinias, cui tandem ſcenicus ille Socrates, tulit ſuppetias: & laqueô Sophiſtarum expedivit. Fuerunt itaq; Philoſophi, ac Oratores Sophiſtæ; inter Philoſophos Anaxogoras, de quo Tullius, qui nivem nigram aſſerebat. Inter Oratores Orbilius: de, quo ita Svetonius in Vitis *Fuit autem, naturæ acerbæ, non modò in Antiſophiſtas quos omni ſermone laceravit, ſed etiam in diſcipulos: ſtatua ejus, Beneventi oſtenditur, in Capitolio* ſi igitur acerbiùs vexabat Antiſophiſtas, ille Sophiſta fuerat. Sophiſtæ Oratores etiam cauſas agebãt, ita enim de Oratore Cicero. *Eſt quoddã*

dicendi genus in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores, quòd è Sophiſtarum ſcholis, deſcendit in forum. Si in foro ita facundi fuerunt, multò magis in cæteris dicendi generibus; qui quantum hîſce temporibûs valeant, ex Magiſtris errorum patet; qui falſiſſima fidei dogmata, non aliter tueri, contra veritatem poſſent, niſi ſophiſmatibûs; & ſi Boileau credendum, omnis Author hæreſis, ſingulari eloquentiâ præditus erat, quâ falſa dogmata promovit, apud populum; ſed jam videamus quid illi ſunt, & quæ eorum ars in dicendo.

Plato tres conditiones Sophiſtarũ proponit, ex quibus, ceu ignis, fumi indiciô, teneri poſſunt. *imum* quod brevi tempore omnia edocere ſuos auditores jactitarent, *alterum* pecuniâ venditarent ſuam ſapientiam: *tertium* duas partes orationis, ſecum pugnantes, ac adverſas, æquali felicitate ingenii probare poſſent: confirmat Cic:

lib: 2. quæst: Acad: de Anaxagora. *Num Sophistes? sic enim appellabantur ii, qui ostentationis, aut quæstûs causâ, philosophantur.* Sermo illis semper fallax, soritîs utebantur, quos Tullius appellat *Lubricum sanè & periculosum locum aut vitiosũ interrogandi genus.* Jam Sturmius Antip: lib: 4. asseveranter perhibet: duobûs adolescentium animos à Sophistis imbui: *Primum* erat adulari cunctis, & cavillari: *alterum* omnibus contradicere, ac dissentire. Orationes antiquorum Sophistarum nullæ supersunt, his hæreticorum libri ac conciones refertæ sunt, quas beneficio Dialecticæ Sophisticæ solvit Christianus Orator vel Theologus

Dissident Sophistæ ab Oratoribus, quia hi verum opinione sua semper tuentur, illi etiam falsum. Et quod nulla sit materia circa quam copiosè disputare non possent. Aliqui inutiliter disputarunt, nempe utrũ Æneas dextrum, an sinistrum pedem, extulerit

navi, dum in Italiam exſcenderet. Diſ-ferunt à *Pòëtis*, quia hi inſidias, auribus niſi ſtruunt, illi etiam ingeniis. Neq́ enim in judiciis, quæ Sophiſtæ invaſe-rant, aurium illecebra quæritur, ſed ve-ri conſtitutio.

Famam autem ſibi ingentem propa-garunt ſuis ſtudiis; id nomen Sophiſtæ indicat, quod ſapientem ſignificat: & Svetonius de Orbilio Sophiſta perhi-bet, quod temporibus Ciceronis *docuit majore fama*: quæ etiam poſt Incarnati Verbi nativitatem longiùs duravit; ita ut à Tertuliano, Miltiades, *egregius Eccleſiæ Sophiſtes*, nuncupetur, quod no-men præclarum diu fuit, poſtremo fa-mâ cecidit, tunc maxime cum Diale-ctici ulteriùs ſejungerent, nodos falla-ciarum à vera ſapientia, aperuiſſentq́ inſidias: & cum germana eloquentia, ab hac ſpuria ſevocata eſt. Hinc èſt quod indiſcreto impetu, quidam, cum inter germana, rerum documenta, & fallacias non diſcernerent, cavillatio-

nibus,

nibus Philoſophiam onerarunt, pariq́ꝫ injuriâ, cum artem oratoriam, à Sophiſtarum declamationibus, non ſejungerent, multa criminatione, univerſam Rhetoricam affecerunt. Hinc Plato Rhetoricam, peſtem Reipublicæ, cavillatricem, vocat, hinc toto Gorgiâ, qui liber omnium fere maximus eſt, omnes univerſim deridet Oratores: licet ipſe ſummus Orator ſit. Hinc Ciceronem pudet, ſe dici Rhetorem apud Plutarchum, hinc ipſe Tullius parum diſtat à Platone in damnandis per omnia ſua præcepta Rhetoricis, hinc Auguſtinus, cujus dum eſſet Manicheus Sophiſticâ ceu Labyrinthô vix ſe poterat expedire, Eccleſia, inſectatur ſuam Mediolani dicendi artem, quàm lib: 9. Confeſs: vocat, *Nundinas loquacitatis, inſanias mendaces, arma furentis Oratoris* & lib. 8. Confeſs: *ſuperbiæ ſcholam, Cathedram mendacii, loquacem ſcholam: ſe verò venditorem verborum* lib 9. Confeſs: diſertè pronuntiat.

Hæc

Hæc Rhetorica Sophiſtica, cùm ſub pallio germanæ eloquentiæ lateret, virus effudit in corpus probum, ac integrum artis dicendi. Quod adeo purum eſſe debet, ut ne à Philoſophis vinci poſſit: cum oratio, in re ſit quædam fuſa ſvavis, ac ornata Philoſophia: unde Cicero poſtquam Gorgiam Platonis verſavit, advertitq́ quòd Socrates Gorgiam ſuperaverit, concluſit: aut *hoc non eſt verum, aut ſi verum eſt, Socrates fuerat Gorgiâ Orator præſtantior.*

Epilogus.

Jam itaq́ quibûs ſcientiis Orator imbutus ſit, oportet, demonſtravimus, ut recta & firma, ad probandū inveniat, ultra quæ, Ariſtoteles & Soarius percurrit locos intrinſecos, qui ut intelligi ſine cæteris nequeunt ſcientiis, ita per ſe, niſi ſapientem juvare non poſſunt: grande enim requiritur ingenium, ut quis tam varia dicendi genera, tam diſſitas & multiplices materias, ad eos-

dem

dem deducat fontes. Monitum tamen te à Cicerone velim ut hos fontes communes, universamq; scientiam *ludendi causâ* non addiscas. *Nihil enim est feracius ingeniîs, iis præsertim, quæ disciplinîs exculta sunt* (ut ait Cicero ad Brutum de Oratore.) *Sed ut segetes fœcundæ ac uberes, non solùm fruges verum etiam, herbas effundunt, inimicissimas frugibus, sic interdum ex illis locis, aut levia quædam, aut à causis aliena, aut non utilia gignuntur,* Itaq; inventionem expedii, quàm in omni genere ex aditis Philosophiæ sumat Orator. Cras cætera expediam.



PARS SECUNDA

De DISPOSITIONE.

COLLOQUIUM PRIMUM.

De Dispositione Orationis magnæ.

SECTIO 42

NOx elapsa, convenere actores: tum Faustinus protulit plantam vastioris

ris Palatii, Ichnographia dicitur: ac ad Jovitam inquit: vide ſodalis quàm exigua charta, totus, imponendi auguſtalis, ordo continetur, qua & ſe architectus regat, & operarii murorum regantur. Par ambitio Oratorem ac induſtria tenere debet.

Siquidem Oratoris munus eſt, intellectum illuminare, & voluntatem permovere; quæ duo non poſſunt implantari Auditori, niſi ejusdem memoria teneat argumenta, tam illa, quæ illuſtrant mentem, quàm illa, quæ pectus variîs motibus, à ſua quiete revocant; proinde proviſum eſt ab Oratoribus mediũ, ut ſupra cæteras partes, quas communiter admittimus, etiam ipſius propoſitionis, fiat quædam partitio: imo & argumentotum: ut tota oratio in memoria Auditoris, quaſi ſeperata pro argumentis afferendis, habeat cubicula. Hac diſtributione utitur in ſuis ſermonibus P. Bourdaloue, hâc Cicero tum ubiq; tum in Verrinis, in quibus accuſat

illa

illa 1*mum* crimina Verris, quæ commisit in quæstura, 2*do.* quæ in legatione, 3*tio.* quæ, in prætura urbana, demum quæ in prætura Siciliensi: quæ in quatuor partes distingvit, 1*mo.* insectatur ea scelera, quæ ad jurisdictionem pertinent, tum ad rem frumentariam, deinde quæ ad furta, 3*tio.* quæ ad supplicia. Hanc partitionem didicit ab Hortensio, ut fatetur lib: ad Brutum in fine. Hæc in deliberationibus adhibetur magnis, non tamen exiguo verborum spatio definitis. In laudibus verò longioribus, eadem ars teneri potest: sed sæpiùs ipsa rerum gestarum series est naturalis dispositio. Panegyrici enim sunt quædam historia, quæ rerum ac temporum vices, observat, ut Soarius lib: 2do. Imo in encomiis rerum ac personarum, nulla sæpe inventionis, nulla dispositionis, sollicitudo Oratori imminet. Ita enim Plinius de suo Panegyrico, quem ad ideam optimo Principi confecerat ad Romanum

Li-

Librum, quo nuper optimo Principi, gratias egi, misi exigenti tibi, missurus, & si non exegisses. In hoc consideres, velim ut pulchritudinem materiæ, ita difficultatem. In cæteris enim novitas ipsa lectorem intentū habet, in hac nota, vulgata, dicta sunt omnia quo fit ut quasi otiosus securusq; lector, tantum elocutioni vacet, in qua satisfacere difficilius est, quæ sola æstimatur. Atq; utinam ordo saltim & transitus, & figura. Ergo in Panegyricis sola sæpissimè elocutionis cura, anxium reddit Oratoris laborem.

Jovita Jam tuô magisteriô disco, quàm solida inventio Oratori necessària, quàm venusta dispositio. At non ignoro urbanitatem festivitatemq; esse virtutem svadæ. Non enim Philosophorum severitatem Orator induit: sed cum ad homines capiendos ordinatus sit, necesse ut animi sui sensus, rigidasq; rationes, svavitate dictionis temperet, in quo tamen mensura servanda est, sed hanc determinandi, ingens

gens difficultas est. Quis enim ignorat orationem sequentem solido inniti fundamento, attamen nimis mihi luxuriare troporum usu ac svavitate videtur, adeo ut & ineptam & hunc eundem sensum *loquendum est hodie*, repetentem accusem, quam tuo subijcio Faustine judicio.

Oratio gratulatoria Natalium Christi *im. Non ea vis hyemis est, NN. ut cum labentia coërcet à cursu flumina, eloquentiæ laticem retardare possit. 2. Serpit ille, & in animis gratulantium effervescit, nec hyems verbis obstat, quæ vagienti Verbo, vocem minimè intercludit. 3. Sileat is, qui lætitiam suopte ingenio loquacem diffitetur. 4. Me inter cælitum cantus & melos pastoritium, tacere haud expedit. 5. Solus hodie Delphis obmutuit Apollo &c.*

Faustinus. Rectè solidæ inventioni innixam, hanc Orationem autumas. Etenim, si singulis periodis, reddamus remotô hôc verborum apparatu, sensꝰ singulos, quos illæ important, erit gra-

vis

vis & ſolida oratio: quam jam reduco hac ratione ad ſenſus. 1. *Non ea vis natalium DEI eſt, ut nobis facundiam interdicat.* 2. *Lætitia enim ex nativitate DEI oborta, nos ad promovenda pectoris ducit teſtimonia, cum DEUS vagiat.* 3. *Supprimat hæc, ille ſilentiô, qui contra omnium experientiam perhibet, gaudia non debere exprimi, oris indiciô.* 4. *Maximè cum Paſtores & Angeli exaggerata, per cantum & melos teſtantes tripudia, nos ſuô provocant exemplo ad facundiam.* 5. *Apollo quidem ſibi indixit ſilentia, cum triſtitiæ materia ex Dei natalibus, illi verba prohibuit &c.*

Neſcio quomodo ultra currat oratio. Attamen hæc omnino ex inventione Philoſophica videtur. Meminiſti enim quæ ſunt effecta lætitiæ, quæ tibi nuper, Sect: 26. ex Philoſophis deprompſi & Oratoribus? loquacem certè hanc meminiſti. Unde hæc oratio ſequenti ſyllogiſmo imbuta eſt. *Lætitia delibuti, ſunt impatientes ſilentii: ego autem ex nativitate DEI, gaudiis perfuſus*

fusus sum, igitur fræna linguæ injicere non possum, quin vota mea depromam, inductus tum exemplo Pastorum ac Angelorum, tum infortunato Apollinis silentio ad facundiam & aggratulationem compulsus. Ex quo liquet hunc Oratorem quisquis ille fuerit, non eandem repetere, sententiam *loquendum est hodie.* Sed luxus in tropis & ornamentorum splendor ingens est hac in oratione. *Nam vis hyemis quæ labentia coërcet flumina,* ponitur, pro naturalibus, per metoniam, tanquam adjunctum pro re subjecta. *Eloquentiæ laticem retardare* ponitur pro silere per metaphoram. *Serpit ille & in animis gratulantium effervescit* ponitur per metaphoram, pro facunda lætitia, quæ ex animo gratulantium depromitur: *nec hyems verbis obstat.* id est nec Christus natus verba interdicit, qui hyeme vagiit. *Sileat is*, est in proprio sensu positum, nec translato, ut & reliqua.

Hoc autem verborum decus utrum vitiosè positum, an secus, tum in usu

tro-

troporum tum in genere demonstrativo, ex Authorum sententiis, ut hactenus consvevimus descripto, uberiùs videbimus. Quoniam autem me cōpulisti, ut tibi de elocutione, Authorū sancitâ prômam, ingratum meum tibi sermonem probabis, si tertia die ad pertractandam materiam non veneris.



PARS TERTIA
De Elocutione.
COLLOQUIUM Primum.

PRæstitutô tempore convenere, Faustinus & Jovita. Ecce autem oculis tabula, mirô artificiô depicta objicitur, quæ varias quadrupedum volucrumq; species offerebat, demum duos homines Patrem & filium, quasi hujus irrationalis theatri contemplatores. Acris autem Faustinum inter ac Jovitam, orta est rationum pugna. Quæstiones illæ erant propositæ. Prima, Cur



Cur quadrupedia, pedibus 4tuor, ceu basibus imponens natura, non ita venůstîs eadem tinxit coloribûs, ac volatilia, quæ in suâ specie, & robore viriū, & quatuor pedum adminiculô, privavit. Erat enim positus in tabella, Leo flavus, equus albus, mustela candida: solus Chameleon, inter cætera inusitatô sui spectaculô; admirationem non tam colore, quàm hujus immutatione, creabat: ejus enim natura est ut loci colorem imbibat: hunc pictor, in viridi gramine, exiguo nimium, sui discrimine, posuerat, at inter volucres, ab aquila quò magis descendebant aves, eò major & mirabilior colorū textura apparebat, adeò ut in ipso carduele exigua volucri, cæterorum alitum periret admiratio. Altera quæstio fuerat, cur filium comptiore, apparatioreq; vestitu, quàm Patrem pictor voluerat. Primam disputationem, clausit Faustinus, quadrupedum soliditatem à natura negatam compensari in alitibus, tum

alis, tum imaginis naturalis venuſtate, ut qui ex genere ſuo, ſunt debiliores, ſint ex eodem genere venuſtiores. Alteram autem finiverat, ideo plus filio apparatûs conferri penicillô, quàm Patri, quia hunc prudentia, ſcientia, maturitas, cæteraq; ingenii dona commendant, ſecus parvulam ſtirpem. At nobis Oratoribus, inquit Fauſtinus, eadē rerum cura, quæ naturæ, nos equidem pariter iis, quæ gravia, quæ ſolida, quæ ſua maturitate commendata, minorem apparatum, deferimus: & ſi quid, tam forte, tam auguſtum, tam regium prope, ac Tygris fuerit, verbis tropicis, figuris ceu maculis diſtingvimus. Levia verò, exigua vel abjecta, veluti carduelem, colorum miraculo diſcernim9 ut verborum venuſtate, puſilla materia reddatur gratior. Jam Pòétæ ii ſunt, qui equum album ac generoſum variis tingunt penicilli oſtentis. Perſequamur tamen ornamenta ſolidi Oratoris, ac ope Encyclopædiæ, tibi propoſitæ, ſvadam enitentis. Sectio

Sectio 43.

Regulæ elocutionis univerſales.

F*Auſtinus* Elocutio maxima eſt pars, & fere ea, quæ Oratorem diſtingvit ab aliis, cum inventio communis ſit Philoſophis, & aliis ſcientiis, ut ſupra dixi. In hanc veniunt verba propria, nova, barbara, eaq́ꝫ obſoleta, Poëtica, translata, figuræ. Hæc ergo partitim quaſi quædam eloquentiæ pomæria viſenda ſunt. Sed ingens hic copia opprimit: & metuo ne ipſe tumultus vocum, aciem mentis confundat. Itaq́ꝫ ut imminenti exercitui præmittuntur ſtatores ac metatores campi, ita quædam generales regulæ præcurrant neceſſe eſt,

1ma. Ex Ciceronis Dialogo ad Quinct: Fratrem. *In dicendo vitium vel maximū eſt à vulgari genere orationis, atq́; á conſvetudine communis ſenſus abhorrere.* Hoc Perpinianus tota oratione probat, ſermonem oratoris debere eſſe talem, ut

vulgus intelligat. Quod omnino verissimum est, si coram vulgo habeatur oratio, vulgari lingva. Sed quia latina solis sapientibus in usu est, itaque latina Oratio ad aures vulgi sapientis accommodanda est, non rudis.

2da. Verborum sonitus, non sit inanis: ita enim de Oratore Cicero. *Quid enim est tam furiosum, quàm verborum vel optimorum, atq; ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjectâ sententia, nec scientia?*

3tia. Ex lib: de Orat: *Orator omnia hæc quæ putantur in communi vitæ consvetudine mala & molesta, ac fugienda, multò majora & acerbiora facit. Itèmq; ea, quæ vulgo expetenda, aut optabilia videntur, dicendo amplificat atq; ornat.*

4ta. Ex lib: de Orat: *Neq; vult Orator sapiens inter stultos videri, uti qui audiunt aut Græculum, aut ineptum putent, aut etiam si valde probent ingenium Oratoris, sapientiam admirentur, se esse stultos molestè ferant.* Hic cadit quod libro tertio de Oratore, *quod nec sperare qui*

latine

latinè non possit, hunc ornatè dicturum, neq; verò, qui non dicat quod intelligamus, hunc posse, quod admiremur, dicere. In idem cadit sensus Aristotelis libr: Rhet: 3tio cap: 4. *Hic autem elocutionis virtus statuatur, ut aperta sit atq; dilucida, cujus rei signum est, nisi Orator rem declaret, finem suum non assequetur.*

6ta. Orator debet peccare aliquando contra artem. Ita enim Plinius ad Lupercum fol: 282. *Dixi de quodam Oratore sæculi nostri, rectô quidem, & sanô, sed parum grandî, & ornatô, ut opinior aptè. Nihil peccat, nisi quòd nihil peccat. Debet enim Orator erigi, attolli, interdum etiam effervescere, ac sæpe accedere ad præceps. Nam plerumq; altis & excelsis, adjacent abrupta, tutius per plana, sed humiliùs & depressiùs. Item frequentior currentibus, quàm reptantibus lapsus: sed his non labentibus nulla laus, illis nonnulla etiamsi labantur.*

6ta. Ut quædam ambigua licet raro ponantur; ideſt sensus ambigui, adeoq; non

non primo intuitu intelligendi. Ita Plinius Luper: 282. *Ut quasdam artes, ita eloquentiam nihil magis, quàm ancipitia commendant. Sunt enim maximè mirabilia, quæ maximè inexpectata, maximè periculosa ut quæ Græci magis exprimunt parabola.* At perspectum est, quòd parabola sit obscura, non solum ambigua: Hâc ambiguitate, usus est, Cice: lib: de claris Oratoribus prope à principio: ait enim ad Atticum. *Ego verò tibi voluntatem meam profectò emetiar, sed rem ipsam nondum posse videor, utq; ut ignoscas a te peto: nec enim ex novis (ut agricolæ solent) fructibus, unde tibi reddam, quod accepi: sic omnis fætus repressus, exustusq; flos, siti veteris ubertatis exaruit, nec ex conditis, qui jacent in tenebris, & ad quos omnis nobis aditus, qui pene solis patuit, obstructus est. Seremus igitur aliquid tanquam in inculto & derelicto solo, quod ita diligenter colemus, ut impendio etiam augere possimus, largitatem tui muneris: modò idem noster animus efficere possit, quod*

ager, qui cum multos annos quievit, uberiores effere fruges solet. Tum ille (id est Atticus] *ego vero expectabo ea, quæ pollíceris, neq; exigam nisi tuô commodô, & erunt mihi pergrata, si solveris.*

Ad hæc familiaris Faustino Jovita inquit. Ego hæc planè non intelligo. Et ego non satis probè, inquit Faustinus: percipio tamen, quem sensum, commentatio longa, super hunc locũ aperuit; eum tibi produco. Nihil Authorem voluisse explicare, nisi quod ex antiquis Oratoribus, quos multîs annîs quiescenti comparat agro, novum modum, ac recentem dicendi, uberiorem tamen, esset prolaturus Cicero, jam verò illorum Oratorum, qui temporibûs Marci florebant, flos exustus, seu pene exaruit vis prisca eloquentiæ. Hæc si tibi placent, sapiant quoq;: si displicent, alium tibi obsonatorem quære, talemq; cui non solus Cicero ad gustum est, ita sagacioris culinæ industriâ, crudum hunc [si tamen crudus est,

eſt, & non ex conſilio præparatus ſenſus) coquat, ac condiat. Nec obſtat huic regulæ, uſu ipſo à Cicerone probatæ, id quod idem lib 3. de Orator: ubi præter alia, verbum excludit ambiguum: ſic enim: *Latinè, ſcilicet loquendo verbîs uſitatîs, ac propriè demonſtrantibus ea, quæ ſignificari ac declarari volemus, ſine ambiguo verbo, aut ſermone non nimis longa continuatione, non valde productis iis, quæ ſimilitudinis cauſâ, ex aliis rebus transferuntur.* Hic enim ambiguitas, vocis aut ſermonis, prohibetur, ne aut frequens ſit, aut ad ſummũ in genere judiciali; idq́ in cardine ſive conſtitutione cauſæ, ſive narratione: aut, excluditur ab illo argumento, in quo maxima vis poſita eſt; non verò hac orationis ſede, qua Orator tædium Auditoris reficere conatur, aut ornare orationem: alias deberemus ſemper quoq́ uti verbis propriè rem demonſtrantibus, id eſt non translatis, quod turpe eſt: ut enim capilli, ornamentũ homi-

hominis, non debent eſſe ita rigidi, ac teſtudo capitis ſub qua domicilium animæ, cerebrum ſcilicet latet: ita non omnia, quæ orationem comitantur, & cauſam, molle quid, ſvave, ac non rigidum reſpuunt. Unde recte Ariſtoteles libro 3. Rhet. cap. 28. vult orationem Rhetoris urbanam: & inter modos cæteros, reddendæ orationis urbanæ, ac non ruſticæ, hunc porrigit ut aliqua ab Oratore proferantur, quæ prima facie internoſci non poſſunt: dat hujus rationem textu 242. ubi inducit auditorem loquentem, poſt ambigua audita argumenta: *Quàm verum hoc eſt, ſed ego decipiebar:* decipitur enim ambiguo ſermone auditor. Quid apophtegmate ænigmatico obſcurius? tamen idem cenſentaneum orationi, idē judicat textu 243. *Quin etiam apophtegmata, ex eo ſunt urbana, quod aliud ſignificant, quàm verba dicant.* Quod ipſum clarè approbat textu 254. *Si quis nomen commodè protulerit, in qua vel translatio*

ſit

sit vel ambiguitas, tunc bene se se habet, ut opportunus non importunus ambiguè dictū, verùm commodè semper fit. Et si autem eodem lib: textu 6. dicat. *Nomina quæ sunt ambigua sophistæ conveniunt, ex iis enim fallaciter concludit:* tamen hanc ancipitem vocem à probationibus rerū, non ab ornamentis reiicit, ut ibi, ubi fulcit propositam veritatem, pestilens sit vox ambigua, non tamen, ubi aures auditoris delinit sermo. Nec quoq; textus 100. officit, in quo inter orationis emendatæ virtutes, hanc quoq; ponit. *Tertio est cum ambigua vitantur* statim enim restringit. *Hæc vitanda sunt, nisi quis contraria prose facere existimet; quod ii faciunt, qui cum nihil habent, quod dicant, aliquid tamen dicere videri volunt: hujusmodi enim homines, Pòëtico more talia proferunt. Nam circuitus ille verborum, cum longus sit, facile decipit: & auditores sic ab eo afficiuntur ut imperita multitudo, cum ariolos audit ambigua loquentes: temerè enim assentitur.* Si itaq; longus ille ver-

verborum ambiguusque circuitus non damnatur ab Aristotele, multò magis unus brevior sensus. Undè rectè Aristoteles paulò infra. *Hæc nisi fiant alicujus rei gratiâ sunt fugienda*: fit autem ornandi variandique causa, & captandi auditorem. Vellem autē hic Auditores, lectores què monitos, dum ipsi non percipiunt, Oratorem obscuritatis non inculpent. Sæpe enim vitiosô audientis ingeniô, non dicentis culpâ quædam quæ clara per se sunt, tenebris vocum, non lumine obvoluta videntur. Ut enim Aristoteles libro Metaphysicorum asserit, sapientiam in se esse clarissimam, sed quòd nō videatur in nobis vitium esse, non in ipsa: sicut quòd aquilæ sit sol lumine pleno perfusus: noctuæ verò, quidam obscurus globus, non solis scelere, sed palpebræ nequitiâ est: ita siquis sensꝰ sit obscurus in Oratione, videat, an in lectore, ingenium caligantis noctuæ nō arguat.

7ma.

7ma Regula eſt ex Tarquinio Archirhetore Romano multorum annorum Profeſſore. *Ne verbis ſenſus, ſed ſenſui verba commodentur*: hæc famulentur ingenio, non verbis ingenium. Cujus inſtituti vitiô temporibus Ciceronis, multi in Aſia ſurrexere Oratores, de quibus illud dicendum, quod Ciceroni ac Plinio reliquit uſurpandum Antonius. *Plures eſſe diſertos, eloquentem vero neminem.* Qui huic vitio ſubjecti fuerant, tali laude delibuti à Plinio ſunt ad Maximum. *Heri duo nomenclatores mei, ternis denariis, ad laudandum trahebantur: tanti conſtat ut ſis diſertiſſimus* & infra: *Scito eum peſſimè dicere, qui laudatur maximè*: Et de Larcio Lycinio deq; reliquis garrulis tantummodo Oratoribus *Plauſus tantum, ac potius ſola cymbala & tympana illis canticis deſunt.*



Sectio

Sectio 44.

De Vario Charactere Orationum.

8va. Regula est ut vitandæ satietatis causâ, adeoque varietatis inducendæ, Orati nec eodem numero, nec eodem flu.. charactere. Nam & Ciceroni non idem semper numerus Oratorius, nec idem character: etenim Attico charactēri, permiscet suum proprium, brevi amplum, subtili extensum, uti id clarius aliquando explicabimus: sed nunc de varietate characteris.

Sectio 45.

Quid sit character orationis, & quotduplex.

CHaracterem ego, à numero Oratorio, non ausim sejungere, sicut character Pòéticus, à numero Pòético non discedit.

Character apud Oratores aliter dicitur figura, forma, nota, stylus Orationis. Hunc numerum si ad naturã revo-

revocemus cujusq;, pene infinitis constat partibus. Nam si comparemus cum Musica: hæc tum varia est, quam multiplex ingenium regionum. Alius enim character Musurgiæ Italicæ, alius Gallicæ, alius Germanicæ, Polonicæ alius; quid cæteris in orientem & occidentem Regnis deferimus? cujus diversitatis satis probũ argumentum est, aurium nostrarum judicium. Et quod mirum, quod cantilena ad naturam Regionis unius, formata, alterius regionis hominibus plane displicet. Audivi ego in Polonia facetissimam illam Italicæ Musicæ consvetudinem, à politissimis quibusdam auribus reprobari, approbari secus à multis pariter: & quidem iis quibus dura institutio, sensum animi non obtuderat. Est autem numerus hic, auribus hominum naturâ suâ accommodatus, non solum in sono, verùm in verbis & sermone, ut ait Cicero. Diversitas illius in tot ostia diffluxit, quot fere sunt Regiones,

imo

imo & homines, maximè si sicut Musica cum cantilena, sic Oratio cum Materia componatur. Mihi vero satis hic erit ad duos vel tres characteres, notas, seu figuras, rem deducere, quæ in omnium Authorum sensu prostant: sed priùs quibûs mediîs hic numerus surrexit dicendum est.

Ut in Musice Claves naturaliter ascendunt, ab imo sono, ad supremum; ita in oratione, naturalis numerus est usu gentium probatus, si ordo grammaticalis observetur, perq́ꝫ sua attributa, ceu per claves provehatur sermo. Unde si in oratione ponitur *imo*. Nominativus sive casus rectus, verbum, adverbium, casus verbi &c. erit numerus naturalis. Jam si hic naturalis ordo probè immutetur, efficiet numerũ oratorium artificialem, si improbè, erit vitiosus numerus: pariter, ac soni Musicales, dum harmonicè miscentur, gratia soni demulcet aures, si vero importunè; ferit ac lædit aures sonori acrimonia. Ut

Ut autē est periodus in Musicis, aurium judicio definitus, quem etiam in popinis norunt rustici, dum suas choreas variant, & finiunt ad mensuram periodi Musurgicæ, ita pariter est in sermonè quædam periodus, quæ non indigne dicitur ab Oratoribus comprehensio, circumductio, circulus orationis. At inter periodos musurgicas, sunt quædam longò circumducta intervallo temporis, aliæ breviori, & quidem quarundam regionum natura est, ut quædam brevioribus, quædam longioribus amplioribusq; delectentur: hoc idem censendum de periodis orationis. Nam Attici breviores, succisioresq; amant, Romani ac Galli nunc largiores. Ex quibus colligitur, aliū esse characterem Romanum, sive Ciceronianum, aut si placet cuiquam, ab origine vox ducta & parte denominativio, Europeum, alium Atticum, sive Græcum, sive Asiaticum, sic dictum aut dicendum, quia ex Livii locis, nec

non

non Ciceronis orationibus Græciam ac Athenas Asiæ olim immissas fuisse, suspicari possumus contra quam præsentes Geographi Europæ inserunt. Quoniam autem, ante Ciceronem, omnes Oratores charactere Attico imbuti sunt, aut esse voluerant, ideo de hoc primum, demum de Romano: quanquam, in hisce ipsis multi gradus & prope infiniti censeri possent.

Sectio 46.

De Charactere Attico, quid sit?

CHaracter Atticus ab Romano, ita differt, ut vir subtilis à corpulento, aut David à Goliath. Ut enim inter homines, alii sunt vastitate quadam corporis præditi, alii arcta ossium ac nervorum compage ad venustatem roburq; contracti, ita & oratio alia periodis, ac membris, majoribus, alia minoribus composita est.

Sectio 47.

Commendatur Character Atticus.

QUantus sit iste character, quamque præstans ex Oratoribus Atticis maximè constat, quorum laudem, ita Cicero persequitur ad Brutum Oratore, ubi eum quærit Oratorem, qui forsitan nunquam fuit. *Recordor ex omnibus anteferre Demosthenem, qui vim accomodavit, ad eam, quam sentiam eloquentiam, non ad eam, quam in aliquo ipse cognoverim. Hoc nec gravior quisquam extitit, nec callidior, nec temperatior. Itaque nobis monendi sunt ii, quorum sermo imperitus increbruit, qui aut dici se desiderant Atticos, aut ipsi Atticè volunt dicere, ut mirentur hunc maximè, quô nec Athenas quidem ipsas magis fuisse Atticas. Hunc enim tantùm quisque laudat, quantùm se sperat imitari.* Nam cæteris difficilior ejusdem æmulatio accidere debet, si Plinio fuerat pene impossibilis, qui ad Arianum. *Tentavi imitari Demosthenem semper*

ſemper tuum. & Calvum nuper meũ, duntaxat figuris orationis. Nam vim tantorum virorum, pauci quos æquas, aſſequi poſſunt. Simile elogium defert Puteanus in præfatione orationum ſuarum. *In Rhetoricis olim Scipio, Lelius, Cato, velut Attici Romanorum fuere, Lyſiæ potiſſimum exemplo fortes cum breves eſſent, & facundi. quia non diffluebant. Hos excepit Cicero, & floridam fuſamq́; vim eloquentiæ complexus, oſtendit nihil Romano ingenio difficile fuiſſe, atq́; hic igitur quia Aſiatico ſapore imbuit roſtra, ſuo exemplo plures traxit. Nemo Orator viſus eſt, niſi qui ſermonem inflaret. Tot ubiq́; flammæ & fulmina, tot ubiq́; tempeſtates erant, ſimilesq́; verborum minæ, ut vel incendium vel naufragium timeres, ac ſanè jam exulare Atticiſmus poterat, ſi ſemper Tullius loqueretur. Sed poſtquam ille triumvirali furore obticuit, ſimul jam remittere majeſtatem oratio cæpit. Poſt Ciceronem faciliùs erat brevitate quàm copiâ diſerti tueri nomen.*

Sectio 48.

Gradus characteris Attici ab exemplis petiti ex Cicerone.

GRadus hujus Attici ſtyli ex memoria Oratorum Græciæ, quam adfert Tullius lib: 2. de orat: luculenter patent. *Antiquiſſimi fere ſunt quorum ſcripta conſtent, Pericles atq; Alcibiades, ſubtiles, acuti, breves, ſententiîs magis quã verbis abundantes. Conſecuti ſunt hos Crytias, Theramenes, Lyſias: multa Lyſiæ ſcripta ſunt, nonnulla Crytiæ, de Theramene audivimus, omnes etiam, tum tenebant, illum Periclis ſuccum, ſed erant paulo uberiore filo. Ecce tibi exortus eſt Iſocrates* (de quo vide Sect: 13.) *Itaq; & illi Theopompi, Ephori, Naucratæ, multiq; alii naturis differunt, & inter ſe ſe magiſtri: & ii qui ſe ad cauſas contulerunt ut Demoſthenes, Hyperides, Licurgus, Æſchines, Dinarchus aliiq; complures, quorum etſi inter ſe pares non fuerunt, tamen ſunt*

omnes

omnes in eodem veritatis, genere versati: quorum quamdiu, mansit imitatio, tamdiu genus illud dicendi, studiumq; vixit. Posteaquam extinctîs his omnis eorum memoria, obscurata est & evanuit, alia quædam molliora, ac remissiora dicendi genera viguerunt. Inde Demochares, quem ajunt sororis filium fuisse Demostehenis, tum Phalareus ille Demetrius, omnium istorum meâ sententia politissimus, aliiq; eorum similes extiterunt. Testatur insuper Cicero lib: de claris Oratoribus: quod orationis *succus ille & sangvis incorruptus, usq; ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset non fucatus nitor:* id est antequam ortus esset Phalareus, *eruditissimus quidem illorum omniū, sed nontā armis institutus fuerat, quàm palæstra: itaq; delectabat magis Athenienses quàm inflammabat: processerat enim in solem & pulverem, non ut e militari tabernaculo, sed ut Theophrasti doctissimi hominis umbraculis.* Ex quo liquet non tam ratione numeri, quàm ratione ornamento-

rum, duplicẽ fuiſſe characterem, imũ maturè ornatum, alterum ſplendide.

Sectio 49.

Gradus Charact. Attici à Cicerone ad ſummam perfectionem reducti.

QUoniam Cicero ad Brutum de Orat: ſic excellentem Oratorem definit, quod is ſit, *qui humilia ſubmiſſè, magna graviter & mediocria temperatè dicit*, Itaq; ad tria capita revocat emendatiſſimam Atticorum formam.

1*mus* Character, qui adhibetur in exiguis cauſis quales ſunt de ſtillicidiis: de viæ immutatione: dicitur ſubmiſſ9 tenuis: ſequuntur Ciceronis verba.

Informandus eſt nobis quem ſolum quidam vocant Atticum. Submiſſus eſt & humilis, conſvetudinem imitans, ab indiſertis re plus, quàm opinione differens. Itaq; eum qui audiunt, quamvis ipſi infantes ſint, tamen illo modo confidunt ſe poſſe dicere. Nam orationis ſubtilitas, imitabilis quidem illa videtur eſſe exiſtimanti: ſed nihil

nihil est experienti minus. Et si enim, non plurimi sangvinis, habeat tamen succũ aliquem oportet, ut & si illis maximis viribus careat, sit, ut ita dicam integra valetudine. Primum igitur eum tanquam è vinculis numerorum eximamus. Sunt enim quidam ut scis, Oratori numeri observandi, ratione quadam, sed alio in genere orationis, in hoc omnino reliquendi, solutum quiddam sit, nec vagum temen ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare. Verba etiam verbis quasi coagmentata negligat. Habet enim ille, tanquam hiatus, concursu vocalium, molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiã, de re, hominis, magis quàm de verbis laborantis. Sed erit videndum de reliquis, cum hæc duo ei liberiora fuerint, circuitus conglutinatioq; verborum. Ipsa enim contracta & minuta, non negligenter tractanda sunt: sed quædam etiam negligentia est diligens. Nam ut mulìebres nonnullæ, dicuntur inornatæ, quas id ipsum deceat, sic hæc subtilis oratio, etiam incom-

pta

pta delectat: Fit enim quiddam in utroq; quo sit venustius, sed non, ut appareat: tum removebitur omnis insignis ornatus, quasi margaritarum, ne calamistri quidem adhibebuntur. Fucati vero medicamenta candoris, & ruboris, omnia repellentur, elegantia modo & munditia remanebit. Sermo purus erit & Latinus, dilucidè planèq; dicetur, quid deceat circumspicietur. Unum aderit quod quartum numerat Theophrastus, in orationis laudibus, ornatum illud suave, & affluens, acutæ crebræq; sententiæ ponentur, & nescio unde ex abdito erutæ, atq; in hoc Oratore dominabuntur. Verecundus erit, oratoriæ quasi supellectilis, usus. Supellex enim quodammodo nostra, quæ est in ornamentis, alia rerum, alia verborum. Ornatus autē verborum duplex, unus simplicium, alter collocatorum. Simplex probatur in propriis usitatisq; verbis, quod aut optimè sonat, aut rem maximè explanat. In alienis, aut translatum, aut factum, aliunde ut mutuo: aut factum ab ipso, aut priscum, aut inusitatum.

Sed etiam inusitata, aut prisca sunt, in propriis, nisi, quod rarò utimur. Collocata autem verba habent ornatum, si aliquid concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat mutata sententia. Nam sententiarum ornamenta, (seu figuræ) *quæ permanent, etiamsi verba mutâris, sunt illa quidem permulta, sed quæ emineant pauciora. Ergo ille tenuis Orator, modo sit elegans, nec in efficiendis verbis erit audax, & in transferendo verecundus, & parcus in priscis, reliquisq; ornamentis & verborum, & sententiarum demissior, translatione fortasse crebrior, qua frequentissimè sermo omnis utitur, non modo urbanorum sed etiam rusticorum. Siquidem est eorum gemmare vites, sitire agros, lætas esse segetes, luxuriosa frumenta. Nihil horum parùm audacter, sed aut simile illi, unde transferas, aut si res nullum suũ habet nomen, docendi causa sumptum, non ludendi videatur. Hôc ornamentô liberiùs paulò, quàm cæterîs utetur, hic summissus, nec tam licenter tamen, quam si dicendi*

genere

genere uteretur, amplissimo. Idq; illud indecorum [quod quale sit, ex decoro debet intelligi] hic quoq; apparet, cum verbum aliquod, altius transfertur: idq; in oratione humili ponitur, quod idem in alia deceret. Illam vero concinnitatem, quæ verborum collocationem illuminat, his luminibus quæ Græci, quasi aliquos gestus orationis schemata appellant. [quod idem verbum ab his etiam in sententiarum ornamenta transfertur) adhibet quidem hic subtilis [quem cæteroquin rectè quidem vocat Atticum) sed paulò parciùs. Sunt enim pleræq; aptæ hujus ipsius Oratoris, de quo loquor parsimoniæ. Nam illa de quibus antea dixi, huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata & similiter conclusa, eôdemq; pactô cadentia: & immutatione literæ, quasi quæsitæ venustates: ne elaborata concinnitas, & quoddam aucupium delectationis manifestò deprehensum appareat. Etiam illa sententiarum lumina assumat quæ non erunt vehementer illustria. Non faciat rempublicam loquentem, nec

ab

ab inferis, mortuos excitabit, nec acervatim multa frequentans, una complexione devinciet. Valentiorum, hæc laterum sunt, nec ab eo, quem informamus, aut exspectanda, aut postulanda, erit enim ut voce, sic oratione suppressior. Accedit actio non tragica, non scenæ, sed modica jactatione corporis, vultu tamen multa conficiens, quo significant ingenuè, quô sensu quidq; pronuntient. Huic generi orationis aspergentur etiam sales, qui in dicendo, nimium quantùm valent: quorum duo genera. Unum facetiarum, alterum, dicacitatis: utetur utroq;, sed altero in narrando, aliquid venustè, altero in jaciendo, mittendo, ridiculo. Illud admonemus, ridiculô sic usurum Oratorem, ut nec nimis frequenti, ne nimis scurrile sit: nec subobscæno, ne inimicum; nec petulanti, ne improbum; nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus, ne locum odii, risus occupet: neq; aut suâ personâ, aut judicum, aut tempore alienum: hæc enim ad indecorum referuntur. Vitabit etiam quæsita (id est

inter-

interrogationes] *nec extempore ficta, sed domo allata, quæ plerumq; sunt frigida: parcet & amicitiis & dignitatibus, vitabit insanabiles contumelias, tantummodò adversarios figet, nec eos tamen semper nec omnes, nec omnî modô: quibûs exceptîs sic utetur, ut sale & facetiis; ut ego ex istis novis Atticis, talem cognoverim neminem, cum id certè sit vel maximè Atticum. Hanc ego formam judico submissi Oratoris, sed magni tamen ac germani Attici: quoniam quidquid salsum & salubre in oratione, id propriè Atticorum est. E quibus tamen non omnes faceti, Lysias & Hyperides satis.*

Sectio 50.

Secundus Character Atticus est uberior adtemperatus. Ex Cicer ibid:

UBerius est aliud, aliquantoq; & robustius, quàm hoc humile, de quo dictum est: Summissius autem, quàm istud, de quo jam dicetur amplissimum. Hoc in genere nervorum

vorum vel minimum, suavitatis autem est, vel plurimum: est enim plenius, quàm hoc enucleatum, (id est immediatè positum) quã autem illud ornatum copiosumq; submissius. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt: plurimumq; est, in hac orationis forma, suavitatis: in qua multi floruerunt apud Græcos: sed Phalareus Demetrius, meo judicio præstitit cæteris, cujus oratio cum sedatè placideq; loquitur: tum illustrant eam, quasi stellæ quædam, translata verba, atq; immutata. Hæc frequentat Phalareus, maximeq; sunt dulcissima: & quamquã translatio apud eum est multa, tamen immutationes [id est Synecdoche Metonimia] *nusquam sunt crebriores. In idem genus Oratoris (loquor enim de modica ac temperata) verborum cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum, latæ eruditæq; disputationes, ab eodem explicantur, & loci communes sine contentione dicuntur. Quid multa, Philosophorum scholis, tales ferè evadunt: est enim insigne & florens orationis pictum & expolitum genus,*

genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum lepores, illigantur. Hoc totum è Sophistarum (id est sapientum) *fontibus defluxit in forum sed spretum à subtilibus,* [de quibus supra *Sectio 49.*] *in ea de qua loquor mediocritate consedit.*

Sectio 51.

Tertius character Atticus copiosus gravis, de quo ita Iullius ibidem.

Tertius est amplus, copiosus, & gravis, ornatus, in quo perfecto vis maxima est. Hic est enim cujus ornatum dicendi & copiam admiratæ gentes, eloquentiam in Civitatibus passæ sunt: sed hanc eloquentiam quæ cursu magno, sonituq;, ferretur: quam suspicerent omnes, quam admirarentur: quam se assequi posse diffiderent. Hujus eloquentiæ est tractare animos, hujus omnî modô permovere: hæc modo perfringit, modo irrepit in sensus, inserit novas opiniones, evellit insitas, sed multum interest inter hæc dicendi genera, & superiora.

riora. Qui in illo subtili, & acuto elaboravit, ut callidè arguteq; diceret, nec quidquam altius cogitaret, hoc uno perfecto Magnus Orator est, si non maximus, minimeq; in lubrico versabitur: & si semel constiterit, nunquam cadit. Medius autē ille, quem modicum & temperatum voco, si modo illud suum satis instruxerit, non extimescit ancipites dicendi, incertosq; casus: etiamsi quando minus succedit, ut sæpe fit; magnum tamen periculum non adibit, altè enim cadere non potest. At vero hic noster quem principem ponimus gravis, acer, ardens, si ad hoc unum est natus, aut in solo se exercuit, aut huic generi studet uni, omnem suam copiam, cum illis duobus generibus temperabit, maximè est contemnendus. Ille enim summissus, quòd acutè & veteratoriè, dicit sapiens jam: medius suavis: hic autem copiosissimus, si nihil est aliud, vix sanus videri solet. Qui enim nihil potest tranquillè, nihil leniter, nihil partitè, definitè, distinctè, facetè dicere, præsertim cum causæ partim totæ sint

eo

eo modo, partim aliqua ex parte tractandæ, si non præparatis auribus inflammare rem cœpit, furere apud sanos, & quasi inter sobrios, bacchari vinolentus videtur. Ergo ut hæc vitia, hujus gravis styli evitentur, necesse in eadem unica oratione, non modo omnes hos tres, sed etiam Romanos characteres de quibus infra intermiscere.

Sectio 52.

De charactere Asiatico.

QUinctilianus lib: 12. cap: 10. ex Asiatico elicit & eximit, stylum Atticum: ponitq; differentiam Orationis illius, quæ Athenis florebat, & quæ in reliqua Asia. *Antiqua illa divisio inter Asianos atq; Atticos fuit: cum hi pressi & integri: contra inflati illi & inanes haberentur: & in his nihil superflueret: illis judicium, ac modus maxime deesset. Mihi autem orationis differentiam fecisse, & dicentium, & audientium naturæ videntur,* quod

quod Attici limati quidem & emuncti nihil inane aut redundans ferebant. Asiana gens tumidior, alioquin & jactantior, vaniore etiam dicendi gloriâ inflata est. Asiatici ſtyli gradus perſequamur.

Imus Asiaticus character.

Sententioſus character & argutus de quo Cicero ita ad finem lib: de claris Oratoribus. *Genera autem Asiaticæ dictionis duo ſunt. Unum ſententioſum & argutum, ſententiis non tam gravibus & ſeveris, quàm concinnis & venuſtis. qualis in hiſtoria Timæus, in dicendo autem pueris nobis Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles, frater ejus, fuit. quorum utriusq; Orationes ſunt, in primis ut Asiatico in genere laudabiles.* De hoc Hierocle & Menecle ita de Orat: Cic: ad finem. *Asiaticorum Rhetorum Princeps, Hierocles & Menecles minimè meâ ſententiâ contemnendi, & ſi enim a forma veritatis & ab Atticorum regula abſunt tamen hoc vitium compenſant vel facultate vel copiâ, ſed apud eos varietas non erat,*

 quod

quod omnia fere concludebantur (id eſt periodi terminabantur] *unô modo: quæ vitia qui fugerit, ut neq; verba ita traiciat, ut id de induſtria factum intelligatur, neq; inferciens verba, quaſi rimas expleat, nec minutos numeros ſequens concidat, delumbetq; ſententias, nec ſine commutatione ulla, in eodem ſemper verſetur genere numerorũ, is fere omnia vitia vitaverit.*

2dus Aſiaticus character.

Aliud autem genus eſt, non tam ſententiîs frequentatum, quàm verbîs volucre, atq; incitatum, quali eſt nunc Aſia tota, nec flumine ſolum orationis, ſed etiam exornatô & faceto genere verborum. In quo fuit Æſchilus, Gnidius, & meus æqualis Mileſius Æſchines. In iis erat admirabilis orationis curſus, ornata ſententiarum concinnitas non erat. Hæc autem dicendi genera aptiora ſunt, adoleſcentibus; in ſenibus gravitatẽ non habent. Itaq; Hortenſius utroq; genere florens clamores faciebat adoleſcens. Habebat enim & Meneclium illud ſtudium, crebrarum venuſtarumq;

rumq; sententiarum, in quibus erant quædam magis venustæ dulcesq; sententiæ quã necessariæ aut interdum utiles. Non probabantur hæc senibus, sæpe videbam tam irridentem, tum irascentem, & stomachantem Philippum, sed mirabantur adolescentes, mirabatur multitudo. Ex sensu Lubomirii *& Vossii superbus stylus Asiatismus est.*

Sectio 53.


De charactere Ciceroniano seu ut aliis placet Romano.

CHaracter Romanus copiosus dicitur non à rebus, quia id etiam Atticæ formæ congenitum, sed ab amplitudine periodorum: vel certe ex eo, si aliquibus placet, quod tota Oratio quamvis grandior & prolixior, ita juncta est dispositione argumentorum, ut quasi una periodus videatur, ut autem differentia hujus, ab Attico clariùs intelligatur: ita censeo: sermo est imago mentis, extensior icon est Romanus

ſermo, quàm Atticus, licet eundem ſenſum latentem pingat. In charactere Romano latet argumentum, ut anima, ſibi ſemper & ubiq; par; ceu in Goliath corpore, in Attico ceu in Davidis parvi. Nam id ipſum quod Cicero copiosè, Atticus ſubtiliter & exiguè, id eſt breviori comprehenſione, tenere poteſt. Quamquam ſi Demoſthenis, ſi Iſocratis Orationes, cũ Tullianis confero, non magno exceſſu illas ab his ſuperari video, etiam quo ad periodorũ amplitudines.

Hoc tamen præcavendum eſt: quòd ſicut Atticus, imo Aſiaticus, à ſoliditate deſcendit ad argutias, ad facetias ac luſus [quæ Ciceroni ineptiæ ſunt] ita Ciceronis ſtylus, pravis imitatorum veſtigiîs, in quoddam remiſſum fluctuans, ac inaniter extenſum degenerat. Sunt enim iſti Characteres, ceu duo corpora, æquè valentia, ac robuſta, quorum unum laxum membrîs, aliud paulò adſtrictius. Itaq; neſcio quo vitiô in ſubtili-

tilitatem, veluti quandam phtisim Atticus delabitur, Tullianus verò in tumorem superfluũ, ceu hydropisim; utrũq; hoc vitium est, nisi quód illud tolerabilius, hoc nimis molestum & onerosũ. Si autem inquiro hujus causam, eam à sensu communi petere, fas erit. Nam Attici non interdicunt ingenio, sive argutiis, Tulliani autem has sibi prohibent, eò quòd, ut dixi, Tullio, argutiæ, ineptiæ dicantur, & arguti Græculi. Unde evenit ut illi gloria eloquentiæ incitati, aut ingeniô ad inventionẽ difficiles, aut disciplinîs minùs exculti, aut aurâ popularî, facetè dicta approbante permoti ad siccitatem quandam, spissumq; coguntur sermonem descendere: Tulliani verò sectatores, iîsdem argumentîs, judiciôq; vulgari, extollente Ciceronis usum, compulsi, suam orationem inflent immaniter.



Sectio 55.

Convenientia & differentia ulterior Ciceroniani ab Attico charactere Tullii temporibus usitato.

SI ista quæ diximus adhuc sunt obscura, aut parum enucleata, videamus, quo Attici, & Ciceroniani secum conveniant, quo dissideant. Exordia Orationum, captatio benevolentiæ (quæ aliquando Athenis prohibita fuerant, eo quod auribus judicum, catenam occultã iniicerent] docilitas, quâ partitione materiæ, quidquid acturi essent, ceu rudioribus lineis committebant, materiæ solidæ ac facetæ, par ubiq; interpolatio, utrisq; in usu fuit. Hoc tamen, in foro Ciceronianum est; quod conclusionem, orationi addiderit. Jam si Cicero collatus fuerit cum Asiaticis sui sæculi, magna tunc intercessit varietas: quia hi facetiis & floribus, non tam defendebant causas, quàm inornabant, ceu Taurum ad victimam. Tullius

verò, virilî lacertô ſolidîsq́ rationibûs, non quaſi triumphans, ſed ut in aciem deſcendens, armatus gladiô, pugnabat. Quod ipſum verbîs Ciceronîs teſtabor, ex lib: de claris Orator: ubi cauſas quoq́ refert, cur Hortenſio eloquentiâ, ipſe præiverit.

Cum propter aſſiduitatem in cauſis, & induſtriam, tum propter inquiſitius & minimè vulgare orationis genus, animos hominũ ad me dicendi novitate converteram; nihil de me dicam, dicam de cæteris quorum nemo erat, qui videretur exquiſitius, quam vulgus hominum ſtuduiſſe literis, quibus fons perfectæ eloquentiæ continetur: nemo qui Philoſophiam complexus eſſet, matrem omnium benefactorum, beneq́; dictorum: nemo qui jus civile didiciſſet, rem ad privatas cauſas, & ad oratorum prudentiam maximè neceſſariam: nemo qui memoriam rerũ Romanarum teneret, ex qua ſi quando opus eſſet ab inferis locupletiſſimos teſtes excitaret: nemo qui breviter arguteq́; incluſo adverſario, laxaret judîcum animos, atq́; à ſeveri-

severitate paulisper ad hilaritatem risumq; traduceret: neq; qui dilatare posset, atq; à propria ac definita disputatione hominis ac temporis, ad communem quæstionem universi generis orationem traduceret: nemo qui delectandi causâ, digredi parumper à causa: nemo qui ad iracundiam magnopere judicem; nemo qui ad fletum posset reducere: nemo qui animum ejus (quod unum est Oratoris maxime proprium) quocunq; res postularet, impellere.

Sectio 55.

Gradus characteris Romani ex Cornificii libro 4. ad Herennium.

SUnt igitur tria genera, quas figuras appellamus, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur. Gravem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam vocamus. Gravis est, quæ constat ex verborum gravium lævi & ornata constructione. Mediocris est, quæ constat ex humiliore, neq; tamen ex infima, & vulgatissima verborum dignitate.

Atte-

Attenuata figura est, quæ demissa est, usq; ad usitatissimã puri sermonis consvetudinẽ.

imus gradus characteris Romani ex eodem.

In gravi figura consumitur Oratio, si quæ cujusq; rei poterunt ornatissima verba reperiri sive propria sive translata, sive extranea, ad unam quamq; rem accomodabuntur. Et si graves sententiæ in amplificatione, & quæ commiseratione tractantur, eligentur. Et si exornationes sententiarum aut verborum, quæ gravitatem habebunt, adhibebuntur. In hoc genere figuræ seu Styli erit hoc exemplum. ut ait Cornificius.

Nam quis est vestrum Judices, qui satis idoneam possit in eum pænam excogitare, qui prodere hostibus Patriã cogitarit: quod maleficium, cum hoc scelere comparari? In iis qui violassent ingenuum, pulsassent aliquem, aut postremò necassent, maxima supplicia, majores nostri consumpserunt; huic truculentissimo, ac nefario facinori, singularem pænam non reliquerunt? Atq; in aliis maleficiis ad singulos, aut ad paucos, ex alieno

alieno peccato, injuria pervenit; hujus sceleris qui sunt affines, unô consiliô, universis civibus, atrocissimas calamitates machinantur. O! feros animos! O! crudeles cogitationes! O! derelictos homines ab humanitate; qui agere ausi sunt, aut cogitare potuerunt, quô pactô hostes, revulsîs majorum sepulchrîs, dejectîs manibûs, ovantes irruerunt in civitatem: quomodo Deûm templîs spoliatîs, optimatibûs trucidatîs, aliîs arreptîs in servitutem, Matribûs familias, & ingenuîs sub hostilem atrocitatem subjectîs, urbs atrocissimo concidet incendio conflagrata: quì se non putant, id quod voluerunt ád exitum perduxisse, nisi Sanctissimæ Patriæ, miserandum viderent cinerem. Nequeo verbîs consequi Auditores, indignitatē rei, sed negligentiùs id fero, quòd vos mei non indigetis. Vester enim vos animus amantissimus Reip: facile edocet, ut eum, qui fortunas omnium volet prodere, præcipitem proturbetis ex ea civitate, quam ipse spurcissimorum hominum dominatu nefario, voluerit obruere.

Sectio

Sectio 56.

2dus gradus characteris Romani ex eodem

IN mediocri figura versabitur Oratio, si hæc ut antea aliquantum demiserimus, neq; tamen ad infimum descenderimus. Sic vg. Quibuscum bellum gerimus Judices videtis: cum sociis qui pro nobis pugnare, & imperium nostrum, nobiscum simul, virtute & industriâ conservare soliti sunt. Hi cũ se, & opes suas, & copiam necessariorum norunt, tum vero nihilominus propter propinquitatem & omnium rerum societatem, quid in omnibus rebus, populus Romanus posset, scire, & æstimare poterant. Hi cũ deliberassent nobiscum, bellum gerere, quæso, quæ res erat, qua freti, bellum suscipere conarentur, cum multò maximam sociorum partem, in officio manere intelligerent? Cum sibi non multitudinem militum, non idoneos Imperatores, non pecuniam publicã præsto esse viderent? non deniq; ullam rem, quæ pertinet ad bellum administrandum.

Si

Si cum finitimis de finibus bellum gererent: Si totum certamen in uno prælio positum putarent, tamen omnibûs rebûs instructiores, ac paratiores venirent, ne dum illud Imperium orbis terræ, cui Imperio omnes gentes, Reges, nationes, partim vi, partim voluntate consenserunt, cum aut armis aut liberalitate à Populo Romano superati essent, ad se transferre tantulîs viribûs conarentur, quæret aliquis quid Fregelloni nō sua sponte conati sunt? Eò quidem minus isti facile conarentur, quò, illi quemadmodum descissent, videbant. Nam rerum imperiti, qui uniuscujusq; rei, de rebus antea gestis, exempla petere non possunt, ii per imprudentiam facillimè deducuntur in fraudem: at ii qui sciunt quod aliis acciderit, facilè ex aliorum eventu, suis rationibus possunt providere. Nulla igitur re inducti, nulla spe freti, arma sustulerunt? quis hoc credat, tantam amentiam quemquam tenuisse, ut imperium populi Romani tentare auderet, nullis copiis fretus? Ergo aliud fuisse necesse est: quid aliud nisi id quod dico, potest esse.

Sectio 57.

3tius grad9 characteris Romani ex eodẽ.

IN hac figura, seu stylo attenuato, ac dicendi genere, quod ad infimum & quotidianum sermonem, demissum est, hoc erit exemplum. Ubi visum est ut in hortum descenderet, ecce tibi iste de transverso: Heus, inquit adolescens, pueri me tui pulsaverunt: satisfacias, oportet: hic, qui id ætatis ab ignoto præter consvetudinem, appellatus esset, erubuit. Iste clariùs eadem & alia dicere cæpit: hic, vix tandem inquit: Sine me considerare. Tum verò, iste clamare cæpit, voce, quæ vel facile cuivis rubores elicere posset: ita petulans es atq; acer, ut ne ad salarium quidem idoneus, ut mihi videtur, sed pone scenam. Conturbatus est adolescens, nec mirùm, cui etiam nunc pædagogi lites, ad auriculas versarentur, imperio ejusdem convitiorum. Ubi enim iste vidisset scurram, exhausto rubore, qui se putaret nihil habere, quod de existimatione perderet, ut omnia sine famæ detrimento facere posset.

Igi-

Igitur genera figurarum, seu styli, ex ipsis exemplis, intelligi possunt. Est autem cavendum, ne dum hæc genera sectamur in finitima & propinqua vitia veniamus.

Sectio 58.

Imum Vitium Characteri primo oppositum ex eodem Cornificio.

NAm gravi figuræ, quæ laudanda est, propinqua ea, quæ fugienda est, quæ rectè videbitur appellari, si sufflata vocabitur. Nam ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur sæpe, ita gravis oratio, sæpè imperitis videtur, quæ turbet & inflata est, cum aut novis verbis, aut priscis, aut duriter aliundè translatis, aut gravioribus, quàm res postulat aliquid dicitur.

Exemplum sumo ex ipso Cornificio styli sufflati.

Nam qui, perduellionibus vendidat Patriam, non satis supplicii dederit, si præceps in Neptunias depultus lacunas, pænitet igitur istum qui montes belli fabricatus est, campos sustulerit pacis. In

In hoc genere aliqui falluntur, nec prospicere possunt orationis tumorem.

Sunt verba Cornificii.

Hinc optime Sarmatides Palatinus Satira 1. cap: 3.

Spernas magnifico crepitantia verba paratu.
Et non sis scriptor tumidꝰ, ceu follibꝰ àër
Inclusus, vano distendit pneumate pellem,
Si tangatur acu, facto fortassis hiatu
Ille tumor subito, tenues disparet in auras.
Sic plerumq; solet multorum svada superba
Insolito fastu prægnantia sumere verba,
Si tamen ad justam veniant pensanda staterã,
In ventos abeunt, facto rumore volantes.
Sed quod erit magnũ, quã vis sit simplice dicto
Expressum, quadam captũ dulcedine sensim
Replet, & attentum rapit in sublime vigore.

Sectio 50.

2dum vitium characteri Romano oppositum ex eodem Cornificio

QUi in mediocre genus orationis, profecti sunt, si pervenire eo non poterant,

errantes

errantes perveniunt, ad confine genus, ejus generis, quod apppellamus fluctuans & dissolutum, eò, quòd sine nervis & articulis fluctuet hic & illuc: nec potest confirmatè & viriliter se se expedire, cujus exemplũ esto.

Socii nostri cùm nobiscum belligerare vellent, profectò ratiocinati essent etiam, atq; etiam, quid possent facere, siquidem sua sponte facerent, & non haberent adjutores multos, & malos homines, & audaces. Solent etenim, diu cogitare omnes, qui magna negotia agitare volunt.

Concludit itaq; Cornificius. *Non potest hujusmodi sermo, atttentum reddere auditorem; diffluit enim totus, neq; quidquã comprehendẽs perfectis verbis ãplectitur.*

Sectio 60.

3tium vitium characteris Romani.

QUi non possunt, in illa facetissima verborum attenuatione, commodè versari, veniunt ad aridum & exsangve genus orationis, quod non alienum est, exile nominari.

Exem-

Exemplum ejusdem ibidem.

Nam isthinc ille ad hortum accessit, ad hunc postea dicit, hic tuus servus me pulsavit. Postea dicit hic illi, considerabo. Postea hic illi, convitium fecit & magis magisq; clamavit &c.

Unde sic concludit Cornificius. *Frivolus hic & illiberalis sermo: non enim adeptus est, ut quod habet attenuata figura, purîs verbîs, & electîs verbis, compositam Orationem.*

Notat Cornificius. *Figuram in dicendo commutari oportet, ut gravem mediocris, mediocrem excipiat attenuata.*

Ex hoc duplici charactere Attico & Romano, ratum ac firmum esto, quemadmodum 8va regula diximus, ut hos omnes characteres, varietatis causâ intermisceat Orator. Nam easdem figuras, quantùm potest, variat ipse Tullius, ut fatetur Oratore ad Brutum. Stylo enim Attico Oratione 4ta in Verrē, fere in medio actionis, raptam Segestanam Dianam, ab hoc impio prætore

accuſat, Cererē quoq; Ennenſem perſequitur: in ſenatu oratio, pro Roſcio, ac omnes omnino perorationes Atticæ ſunt, reliqua ſua amplitudine inveſtit.

Sectio 61.

De Luminibus Oratorum.

Sive de ſtylo admirabili, erudito, polito, ſvavi.

9na Regula *ut lumina orationis interjiciat & paſſim inſpergat.* Porro ut feneſtræ in palatiis, domibus, ac caſis, lumina dicuntur, ita quædam dicendi inſignia. Ut vero nulla domus, ſolîs hîſce eſt ſtructa luminibus, ita nulla oratio, uno, de quo dicemus, fulgebit ſplendore, & ornatu. Hunc autem recenſet Cicero lib: 3. de Orat: *Ornatur Oratio genere primum & quaſi colore quodā & ſucco. Nam ut gravis, ut ſvavis, ut erudita ſit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut ſenſus & dolores habeat, quantum opus ſit, quod non eſt ſingulorum articulorum*

culorum (id eſt non quælibet periodus, aut quælibet pars orationis has dotes habeat) *ſed in toto ſpectantur hæc corpore: ut porro conſperſa ſit, quaſi verborum ſententiarumq; floribûs, id non debet eſſe fusũ æquabiliter per omnem orationem, ſed ita diſtinctum, ut ſint quaſi in ornatu quædam diſpoſita inſignia & lumina. Genus igitur dicendi eligendum eſt, quod maximè teneat eos, qui audiunt, & quod non ſolum delectet, ſed etiam ſine ſatietate delectet. Nõ enim à me jam expectari puto, ut moneam, ut caveatis, ne exilis, ne inculta ſit veſtra oratio, ne vulgaris, ne obſoleta. Difficile enim dictu eſt, quænam cauſa ſit, cur ea quæ maximè ſenſus noſtros impellunt voluptate, & ſpecie prima acerrimè commovent, ab iis celerrimè faſtidio quodam & ſatietate abalienemur. Quantò colorum pulchritudine & varietate floridiora ſunt, in picturis novis pleraq;, quam in veteribus? quæ tamen, in primo adſpectu nos cæperunt diutiùs non delectant: cum iidem nos in antiquis tabulis, illo ipſô horridô, obſoletôq;*

 tenea-

teneamur. Quanto molliores sunt, & delicatiores, in cantu flexiones, & falsæ voculæ, quàm certæ & severæ? quibus tamen non modo austeri, sed si sæpius fiunt, multitudo ipsa reclamat. Licet hoc videre, in reliquis sensibus; unguentîs minus nos delectari, summâ at acerrimâ svavitate conditis, quàm his moderatîs, & magis laudari, quod ceram, quàm quòd crocum olere videatur. In ipso tactu esse modum & lenitudinis, & lævitatis. Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maximè voluptuarius, quiq; dulcitudine præter cæteros sensus commovetur, quam citò id quod dulce est aspernatur, & respuit? Quis potione aut cibo dulci, uti diutiùs potest? cum utroq; in genere, ea, quæ sensum voluptate leniter moveant, facillimè fugiant satietatem. Sic omnibus in rebus, voluptatibus maximis, fastidium finitimum est: quo hoc minus in oratione miremur, in qua vel ex Poëtis, vel ex Oratoribus possumus judicare, concinnam distinctamq; ornatam, festivam, sine intermissione, sine

reprehensione, sine Varietate, quamvìs clarîs coloribûs sit picta Pöësis vel oratio, non posse in delectatione esse diuturnam. Atq; eò citiùs in Oratoris atq; Pöëtæ concinnis ac fuco offenditur, quòd sensus in nimia voluptate naturâ, non mente satiantur. In scriptis autem & dictis non aurium solùm, sed animi judicio etiam, magis infucata vitia noscuntur. Quare quamvis belle & præclarè nobis sæpe dicatur; bellè & festivè nimiùm sæpe, nolo. Quamquam illa exclamatio non potest melius, sit velim crebra, sed habeat tamen, illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquã, & recessum, quò magis id quod erit illuminatum exstare, atq; eminere videatur. Ita sit igitur nobis ornatus & svavis Orator, ut svavitatem habeat austeram, non dulcem atq; decoctam. Nam ipsa adornandum præcepta, quæ dantur, ejusmodi sunt, ut ea, quamvis vitiosissimus Orator explicare possit. Consentit in hãc luminum interpolationẽ Plinius Novocomensis ad Romanum, de sua panegyri.

Nec vero affectanda sunt semper elata & excelsa, nam ut in pictura lumen, non alia res magis, quàm umbra commendat, ita orationem tam summittere, quàm attollere decet.

Quod si quispiam, salem non amet, cum quibusdam tamen cum Oratorũ præceptis hunc adhibere compellitur, eâ modestiâ poterit uti, quâ Cicero in suis orationibus.

Producuntur exẽpla luminũ oratoriorũ ex Cicerone collecta à R.P. Strada.

Cicero pro Fonteio: Tendit ad vos, virgo Vestalis, manus supplices, easdem, quas pro vobis, Diis immortalibus tendere consuevit. Cavete ne periculosum, superbumq; sit, ejus vos obsecrationem repudiare, cujus preces si Dii aspernarentur, hæc salva esse nô possunt. Prospicite Quirites ne ignis ille æternus, nocturnis Fonteiæ laboribus, vigiliisq; servatus, sacerdotis Vestæ lacrymis extinctus esse dicatur.

Et illa adversus Pisonem? *Tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contra-*

ctio, ut illo supercilio, Resp: tanquam Atlante cælum niti videretur.

In Pisonem dicta quo spectant? *Cæsaris ego imperio, non Alpium vallum contra ascensum transgressionemq; Gallorum, non Rheni fossam gurgitibus illis redundantem, Germanorum immanissimis gentibus objicio & oppono; perfecit ille, ut si montes resedissent, amnes exaruissent, non naturæ præsidio, sed victoriâ suâ, rebusq; gestîs, Italiam munitam haberemus.*

Pro Roscio Am: At illa de supplicio Parricidarum? *Quid tam commune, quã spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus littus ejectis? ita vivunt dum possunt, ut ducere animam de Cælo non queant: ita moriuntur ut eorum ossa terram non tangant, ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidẽ mortui cõquiescant.*

Aut illa. *Una in hac re, servitutis oblita Civitas ingemuit. Servientibus animis, gemitus populi Romani liber fuit.*

Philip: 2. De iis qui Cæsarem interfe-

terfecerunt. *Si inter illos fuissem non solum Regem, sed etiam Regnum de Republica sustulissem, & si meus stylus ille fuisset, ut dicitur, mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem.*

Post reditum ad Quirites *Corporibus Civium trucidatis, flumine sangvinis, reditum meum intercludendum putaverũt: nec dubitabam, quin is me confectum consularibûs vulneribûs, consulari medicina ad salutem reduceret.* Pro domo sua. *Te obtestor Vesta Mater, cujus ignem illum sempiternum, non sum passus aut sangvine Civium restingvi, aut cum totius urbis incendio commisceri.* Pro Flacco *Cujus lingvâ quasi flabello seditionis, illa tum est egentium concio ventilata.* Et illud. *In officio persolvendo difficilis est ratio, & pecunia debita, quòd pecuniam qui retinet non dissolvit, qui reddidit non habet: gratiam, & qui reddidit, habet, dissolvit.* Philip: 1. contra Cæsarem. *Cum serperet in urbe infinitum malum; iidemq́; bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam*

turam effecerant. Pro Cluentio ludit in vocibus Guttæ & Bulbi. *Atq; etiã Conditor ipse negotii, guttam aspergit huic Bulbo: itaq; minimè amarus invisus est, qui aliquid ex ejus sermone speculæ degustasset.* Pro Sestio in Vatinium dictum Struma facete excurrit.

Hi medentur Reip: qui excæcant pestẽ aliquam, tanquam strumam Civitatis. Et in eundem Vatinium. *Omnia ea me pudenter vivendo consecutum esse, quæ tu* (Vatini) *impudenter vaticinando, sperare te sæpe dixisti.* Philipp: 3. *in Præceptorem Antonii agris donatum. En cur Magister ejus ex Oratore, arator factus sit?* Aliaq; quàm plurima in eodem reperiuntur Tullio. Vide quæ de arguto infra stylo.

Ad hæc Oratorum lumina, spectat similitudo, quâ parcè utendum: Ita enim Aristoteles. *Utilis est autem imago* (seu similitudo] *in soluta oratione, sed eâ, parcè utendum quoniam magis Pöëtas decet.* Imò idem libro 3. Rhet: cap: 28.

Multa

multa harum festivitatum profert exempla, tum artificia. textu 247. paranomasiam approbat: *Idem faciunt etiã Cavillationes, quæ mutatîs fiunt literîs.* Affert exempla Majoragius interpres Philosophi: *ut cum pro nobili dicitur mobilis, pro* Oratore Arator: & illud Ciceronis: *fames magis, quàm fama commovit.* & textu 252. Aristot: *Atheniensibus maris principatum non fuisse malorum principium, quoniam eis utilitatem attulit.* textu 257. *Non decet hospitem semper esse hospitem:* textu 258. *Pulchrum est mori, morte antequam dignum geras.* textu 180. *agrum accepit ægrum ab eo.* 181. *Placati donis paccatiq; ore fuerunt.* textu 182. *In cura quidem plurima, in spe vero minima:* textu 183. *Est verò dignus æreâ statuâ, qui non dignus est ære.* Jam verò imagines seu similia, allegoricè vel simpliciter insinuata, multum ad urbanitatẽ Orationis conferre, toto probat 9. cap: libr: 3. Rhet. Quales Orationes fere sunt nostris temporibus, ex stemmatũ

circum

circumstantiis ductæ, quæ indesinentē allegoriam metonimiæ junctā fovent.

Sectio 62.

Inter lumina Oratorū Urbanitas ponitur.

ARistoteles capite 25. lib: 3. Rhet: orationem urbanam esse debere luculenter probat; quærit enim unde urbana, seu præclarè dicta, deducantur. *Quæ quidem formare ingeniosi est hominis proprium, atq; exercitati, viam autem eorum, & rationem tradere, bujus est doctrinæ* (id est Rhetoricæ] *proprium.* Primo itaq; urbanitatem ait, non posse consistere in voce plenè peregrina, quia ejus significatio est ignota: non item in classico verbo, quia significatū per illud est cognitum, adeoq; nihil novi ostendit, itaq; hæc verba propria, non esse jucunda perhibet, adeoq; ab urbanitate aliena. Sed hanc primò à voce translata, nova ac similitudine, seu imagine Pòëtarū provenire asserit,

ut cum quis senectutem appellat stipulam, inserit nobis cognitionem ac notitiam propter genus, hæc enim ambo viriditatem amiserunt. Sed præfert metaphoram novam, nec classicam, aut veterem similitudini, cum illa imaginem ad pauciora verba contrahat, (nam brevitas de ingenio urbanitatis est) similitudo autem, sæpius longiori elocutione, circumducitur. Unde illa argumenta, *quæ omnibus nota sunt, & non indigent, ut quærantur*, & illa quæ prolata non percipiuntur, non sunt apta, ad urbanitatem orationis formandam, sed opus est, ut sint ingeniosa & inexpectata, quæ nostris sæculis vocantur conceptꝰ. Ultra hæc, 2*do* contraria, seu anthiteta, seu contraposita ad urbanam orationẽ reddendam, probat: adfertq́ꝫ exemplũ libro 3. Rhet: textu 197. *Eam pacem, quæ aliis omnibus communis est, existimant suis privatis rebus, esse bellum.* 3*tio* energiam *si rem oculis subjiciat.* Tale est illud Ciceronis in Verrẽ. *Stetit soleatus*

Præ-

Prætor, populi Romani, cum pallio purpureo tunicaq; talari, muliercula nixus in littore Et in eundem. *Ipse inflammatus furore ac scelere in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.* Concludit itaq; Aristotel: ad urbanam Orationem reddendam. *Hæc tria sunt consideranda, translatio, contentio* (seu contraposita) *evidentia* descriptionis. Præmonet tamen textu 237. quod Metaphora non debeat duci à rebus perspicuis & omnibus notis, *quod enim vulgare est, ac omnibus notum* (ut Majoragius) *nullatenus movere potest sed nec etiam à rebus ignotis ducatur translatio. Sicut Architas dixit idem esse arbitrium & aram* (textu 239.] *quoniam ad utrumq; is qui injuriam accepit, confugere solet.*

Sectio 63.

Ulteriores elocutionis regulæ percurruntur id est de latinitate, de decoro Orat:

10. *Regula* est cõplectens superiores,

ex

ex Cicerone libro 3. de Orat. *Nemo unquam Oratorem quod latinè loqueretur admiratus: si est aliter irrident, neque eum Oratorem tantummodo, sed hominem non putant. Nemo extulit eum verbis qui ita dixisset, ut qui adessent, quid diceret intelligerent, sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset: in quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem Deum, ut ita dicam, inter homines putant? qui distinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè & rebus, & verbis dicunt: & in ipsa oratione, quasi quendam numerum, versumq; conficiunt: id est, quod dico ornatè. Qui idem ita moderantur ut rerum, ut personarum dignitates ferunt: ii sunt in eo genere laudandi, laudis, quod ego aptum & congruens nominem, qui ita dicerent, eos negavit adhuc se vidisse Antonius, & iis hoc nomen dixit eloquentiæ solis tribuendum.*

11. *Regula* ex superiore profluens summeq; Oraratori necessaria, sine qua

aut

aut histrio aut ineptus Orator est, scilicet, *ut videat quid & ubi deceat.* Cujus rei causa, non modo Oratores sed & Pòétæ peccant acerbissimè. Nam Aristoteles in Epopæia, luculenter reprehendit Homerum Pòétam, quòd Ulyssem in Scylla, contra decorum viri fortis, ejulantem induxerit. Et idē Pòétarum Deus acrius à Platone verberatur, quod remota decori lege fædas scitu, dictuq; res, immortalibus Diis affinxit sacrilegè, ac mortalium bono vehementer offecerit. In eundē quoq; conjicit diras Pythagoras, qui ut Strada lib: 1. pag: 142. perhibet; *dicere solebat se ad inferos descendisse aliquando, ibiq; Homeri umbram offendisse pendentem ab arbore, maleq; mulctatam Hesiodi verò obligatam columnæ, miserisq; vexatam modis aspexisse. Quod figmentis suis de Diis temerè turpiterq; locuti, malo mortalibus fuissent.*

Jam idem breviter, ac quasi in nucleo rem vastam componit ubi eodem

lib:

lib: prolusione 1. pag. 36. ita id cōmendat. *Ad summum, ne singula persequar dicendo, totam eam rationem, quæ cautè circumspicit, quid cuiq; conveniens, quid tempori, quid loco, quid rei, quid personæ sit aptum, quæ uno Decori vocabulo, cum latissimè pateat, explicatur, eam satis constat, & summum esse opus prudentiæ, & proprium esse artificium Oratoris.* Maximè cum judicium, sejunctam, à cæteris, Rhetoricæ partem æquè Aristoteles ac Quinctilianus admoneat. Idem quoque Aristotelis sensus est lib: 3. Rhet: cap: 6. in quo Oratori commendat metaphoram. *Sed videre oportet, sicut juveni purpura, ita seni, quid conveniat, neq; enim eadem eum vestis decet* Jam idem cap: 13. *Decorum autem illa servabit oratio, quæ motus animi miscebit, & quæ mores exprimet, & quæ subjectis rebus conveniet.* Unde paulo infra, ad decori rationem, refert sequentem legem. *Neque abjecto nomini ornatus est adhibendus, alioqui comœdia videbitur,*

quod

quod crebro, facit Cleophon: talia enim quædam profert, acsi diceret venerandam ficũ. Hoc decorum, ridiculi gratiâ, Comici non servant Pòétæ. De hoc decoro ita ad Brutum de Orat: summo fol: 170. Marcus: longius præcipit. *Sed est eloquentiæ sicut reliquarum rerum fundamentum sapientia. Ut enim in vita, sic in Oratione, nihil est difficilius, quàm quid deceat videre. Græci hoc prepon appellant, nos dicamus sane decorum: de quo præclarè, & multa præcipiuntur, & res est cognitione dignissima. Hujus ignoratione non modo in vita, sed sæpissimè & in pòëmatis, & in Oratione peccatur. Est autem quid deceat, Oratori videndum, non in sententiis solùm, sed & in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec verò locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum, semperq; in omni parte Orationis ut vitæ, quid deceat est considerandum: quod & in re, de qua agitur, positum est, & in Personis, &*

eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt. Itaq; hunc locum longè & latè patentem, solent Philosophi in officiis tractare, non cum de recto ipso disputant, (nam id quidem unum est) grammatici in Poëtis, eloquentes in omni genere & parte causarum. Quàm enim indecorum est de stillicidiis, cum apud unum judicem dicas, amplissimîs verbis & locis uti communibûs, de Majestate populi Romani summissè & subtiliter? Hic genere toto, & personâ alii peccant, aut suâ, aut judicum, aut adversariorum; nec rè solùm, sed sæpè verbo. Et si sine re, nulla verbi vis est, tamen eadem res, sæpè aut probatur, aut rejicitur aliô, atq; aliô elata verbo: in omnibusq; rebus, videndum est, quatenus. Et si enim suus cuiq; modus est, tamen offendit, magis nimiùm, quàm parùm. In quo Apelles pictores quoq; peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis. Magnus hic locus esset Brute, & magnum volumen aliud desiderat: sed ad id, quod agitur, illud satis: cum hoc decere, & id usquequaq; quantum sit appareat, quasi aptũ esse, consentaneumq;

tem-

tempori & personæ: quod cum in factis sæpissimè, tum in dictis valet, in vultu deniq; & gestu & incessu, contraq; item dedecere. Quod si Poëta fugit ut maximum vitium, qui peccat etiam cum probam orationem affingit improbo, stultovè sapientis. Si deniq; pictor ille vidit, cum immolanda Iphigenia, tristis Chalcas esset, mæstior Ulysses, mæreret Menælaus, obvolvendũ caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillô non posset imitari: Si deniq; histrio, quid decet quærit, quid Oratori faciendum putemus? Sed cum hoc tantum sit: quid in causis earumq; quasi membris faciat, Orator viderit. Illud quidem perspicuum est, non modò partes orationis, sed etiam causas totas, alias aliâ dicẽdi forma tractãdas. Id est, non modo per gradus characteris Attici variando, sed & per styli Romani formas ducendo. Præmonitos hic velim omnes non obesse quidquam, ut quis Romano stylo censeatur imbuere orationem, etiamsi paulo vel longè minus character irrumpat Atticus. Nec

ab Attica ſubtilitate ille dejicitur, qui pauciora de Romano immittit. Ut enim in Muſica ita in oratione. Duodecem illa modos acutiores, remiſſioresq́ præfinit, ciendis variis affectibus non inutiles, quam intra 8. claves, græcis diapaſon dictas, includit, non quòd extra ſuum modum excurrere non poſſit harmonia, ſed quòd in ſuo modo ſæpius hæreat, cadentiasq́ ut vocant, ſeu quasdam relabentes vocis morulas, intra ſua abſolvat confinia. Pariter Atticus, ſive Aſiaticus eſt, qui frequentiùs in ſua figura moratur, licet aliquando in Ciceronis copiam reſiliat, ibiq́ breviùs ſpatietur.

12. *Regula* eſt Oratoribus infeliciſſima, quia hanc non ſponte, ſed coacti ſequuntur. *Ut Orator ſuam orationem accommodet ad aures populi, vel auditorem abjiciat.* De hac, Oratore ad Brutum pag: 152. apud Cicer: *Ita ſe res habet ut ſi tibiæ inflatæ ſonum non referant, abjiciendas eas ſibi tibicen putet, Sic Oratori*

populi

populi aures tanquam tibiæ ſunt; eæ ſi inflatum non recipiunt, aut Auditor omnino tanquam equus non facit, agitandi finis faciendus eſt. Hoc tamen intereſt, quòd vulgus, non probandum Oratorem, probat, ſed probat ſine comparatione, cum etiam à mediocri aut à malo ſæpe delectatur. Hiſce infelicibus Oratoribus porrigit ſolatium Cicero, nempe ut ſatis ſibi ducant, ſi probentur ab iis, quorum eſt judicare.

Hæc Fauſtinus & quoniam occaſus ſolis eripiebat lucem ulteriori tractandæ materiæ, ȝtiam ab hac diem, locum vero Eleuſini domiciliũ ſibi indixere, quô unà relaxationi animi, unaq; ſuis votis indulgerent.



COLLOQUIUM SECUNDUM.

Proponuntur quædam particularia de Elocutione præcipuè de Tropis.

EX condicto Fauſtinus & Jovita convenêre, tum orſus Fauſtinus.

Sectio 64.

De verbis in orationem venientibus.

DUas virtutes elocutionis, recenſet Ariſtoteles, libro de Pòética cap: 22. *ut ſit perſpicua, & non humilis, aç maximè quidem perſpicua eſt, quæ ex propriis nominibus conſtat, ſed humilis; at grandis & immutans id, quod vulgare eſt, illa, quæ peregrinis* (id eſt novis translatis & ex alia lingva prudenter ductis] *utitur. Peregrinum autem voco, lingvam & tranſlationem, & quidquid præter proprium eſt.* Porro propria ſunt verba, nova, peregrina, quorum aliqua nos vocamus barbara, ultimò translata, ſeu tropica. Hoc ipſum libro Rhet: 3. cap: 4. corroborat Ariſtot: *Ex nominibus autem & verbis, illa præcipue dilucidam Orationem efficiunt, quæ propria ſunt: non humilem autem ſed excultam & ornatam reddunt, de quibus in arte Pòetica, dictum eſt. Quippe verborum immutatio facit, orationem videri grandiorem; quemadmodum enim erga peregrinos,*



& erga cives, affecti sunt homines, ita etiam erga orationem: Itaq; reddere dictionē peregrinam oportet. Res enim externas homines admirantur? quod autem gignit admirationem, suave est. Peregrinæ itaq; seu translatæ aut immutatæ & ex alia lingva ductæ voces non humilem reddunt orationem. Sed cum ijsdem & Pòétæ & Oratores, sua scripta dictaq; inornant, necesse est constituere, utrū elocutio Oratorum, differat ac dissideat, cum elocutione Pòétarum.

Sectio 65.

Utrum elocutio Oratoria debet differre à Pòética.

DIfficiliùs constituitur, quas partes elocutio Pòética complectatur: nam una eademq; materia potest, sive Pòéticâ, sive Oratoriâ promi ad auditores facundiâ. Quare si omittamus inventionem, quæ sæpiùs apud illos fingit, si numerum prætereamus, quô versus

ſus adſtringunt pedibûs, in his videtur hæc elocutio conſiſtere, in quibus licentiùs agitur. Sed & hæc libertas dicendi, licentiaq́; minimè nos anxietatibûs abſolvit ac dubiô. Itaq́; *imum* Pòëticum cenſendum eſt, ut ſi res naturalis nomine à vatibus impoſito explicetur, ut ſi *luna* per *Cynthiam*, aut *Dianam*: *Sol* per *Apollinem*: *aqua* per *Neptunum*; *vinum* per *Bacchum* &c. Alterũ, ſi novæ translationes frequentiſſimæ ſint, ut vult Ariſtoteles, atq́; eædem leges troporum excedant, ut *àéreæ arbores* pro altis. Si voces nec neceſſitati, nec ornamento ſervientes ponantur, *ut humida vina, dentes albi, ſangvis ruber*. Si ſimilia multa ſimul conglobentur, ut vult Ariſtoteles; quamvis Socrates maximè his uſus, ut Soarius perhibet lib. 2. de inductione. Si colloquia perſonarum inducantur ut vult Majoragius. Ultimò tandem quidquid nimiũ ornatè, nimis ſplendidè ad Auditores profertur, id Pòëticum, Peripathetico

Præ-

Præceptori eſt. Hanc elocutionem pro Oratoribus videtur approbare Ariſtoteles, quam & in uſum eorum ductam recenſet lib 3. Rhet: cap: 3. *Quoniam Pòëtæ licet plerumq; res inanes proferant, tamen propter elocutionem gloriam acquiſiviſſe videbantur, ideo factum eſt, uti elocutio Pòëtica primo probaretur, qualis eſt Gorgiæ. Tradunt enim* [ut ait Majoragius) *Gorgiam cum Athenas veniſſet, & ad populum concionem habuiſſet, orationis novitate, multos in admirationem traxiſſe, & nonnullos Atticos Oratores, eô vitiô infeciſſe, ut Pòëticam elocutionem tanquam optimam ſequerentur,* quam in ſenectute tēperavit Gorgias. Cæterum cenſendū eſt, elocutionem Pòëticam orationi repugnare. Nam Ariſtoteles lib: 3. c. 3. aſſeverantiùs exiſtimat: *Alia eſt Oratoria, alia Pòëtica elocutio.* Ultra ſupra dicta, hæc ad claſſicam Latinitatem minùs, ſecus Oratoria attendit. Etenim Ariſtoteles vult ibidem, *ea verba quæ à communi conſvetudine loquendi, abhorrent,*

eſſe

esse Pòétarum, adducitq; Pòétas sui sæculi tragicos & comicos, *qui omnem illum ornatum abjecerunt, quô prisci tragici Pòétæ utebantur, & quô adhuc utuntur ij, qui versus heroiços pangunt. Itaq; ridiculum est, eos imitari.* Unde Majoragius commentator in textum 30. lib: 3. Rhet: *Debet igitur Orator magnam diligentiam adhibere, ut quamvis summo artificio utatur in dicendo* [id est in verbis concinnandis] *tamen ejus locutio propria, naturalisq; esse videatur.* Propterea ad grandiorem reddendam orationem, hanc regulam porrigit Aristoteles, textu 31. *Si quis è communi consvetudine, verba seligens, orationem suam componat, quod Euripides observat, & primus hanc rationem ostendit.* Huc spectat capitis 5ti textus 34. libr: 3. Arist: *Propria verò tantùm nomina, atq; sua & translata, ad solutam orationem exornandam, sunt utilia, cujus rei signum est, quod his solis omnes utuntur: nam in loquendo translatis & suîs & propriîs nominibûs quilibet utitur.*

Ista,

Ista itaque lex Periphatetici Oratoris censorum turbam exciverat. Hæc Nizolium, contra Stradam acuit, hæc præsentis sæculi (si nota fuit) Criticen impulit, hæc omnes qui aliquantùm in humanioribus sapiunt, ad censuram & supplicia inferenda, innocenti sæpè orationi provocavit. Hascé enim formant leges, *unam* non licere Oratori, novum tropum ponere. *Alteram*, non esse legitimam ac Latinam omnem, novam phrasim. Utrumque perspicuè falsum.

Nam *primum* omnino à veritate alienum est. Si servetur moderatio, & lex troporum, potest orator novum tropum, novam Metaphoram, Synecdocham, Metonimiam ac Ironiam efficere.

Sic Aristoteles tex. 32. lib: Rhet: 3. *cum autem è nominibus & verbis, oratio constituatur, & nominum tot species, quot in arte poëtica declaratum est, rariùs Orator & paucioribus in locis, uti debet peregrinîs, & junctîs nominibûs, & factîs.* Porrò peregrina verba sunt Aristoteli omnia ea,

quæ

quæ novitatem præseferunt, prout dictum est sectione 61. de luminibus Oratoriis. Recens autem verbi translatio, hospes est in glossa seu lingva. Quod ipsum apertiùs confirmare videtur tex: 36. Arist: *Tantò autem majorem industriam, in transferendis nominibus, oratio soluta postulat, quantò pauciora ad exornandum adjumenta, quàm versus habet, cum præsertim orationem dilucidam, jucundam, peregrinam translatio faciat.* At nulla industria in classicis ab ævoq; factis translationibus in Oratore requiritur. Igitur illam, novum tropum molienti inculcat Aristoteles. Demum urbanam vult esse orationem Rhetoris, uti diximus sectione 62. urbanitas autem, non potest esse, nisi nova fiat metaphora, sed de hoc ampliùs, ubi frigidæ orationis vitium examinaverimus, *Sectio* 71.

Sectio 66.

Quid sit tropus & quotduplex.

Tropus

TRopus eſt translatio vocis, à propria ſignificatione, ad impropriam, cum venuſtate & jucunditate. Tropus enim immutat ſignificationem. Ut enim viator relictô domi, ſuo veredariô, alienô utitur equô ad viam: ita vox relinquit rem, ad cujus ſignificationem inſtituta eſt, & aliam rem ſignificandā arripit. In adoptione idem contingit, ut qui, hæres cooptatur per legem, is ſuum nomen abiciat, aliudq́ʒ cum hæreditate aſſumat: ita res, nomen proprium amittit, & novô inauguratur, favente troporum lege. Dum enim dico *flos juventutis*, pulchritudo juvenum, (quæ per vocem *flos*, hic indicatur,) & vigor eorum, in oratione aſſumit nomen floris: adeo ut quoq́ʒ hæc vox *flos*, non illa camporum decora, ſed venuſtatem adoleſcentum, ſibi auxilio novæ ſignificationis maritet, ſuumq́ʒ nomen imponat adlectæ rei. Item dum dico *Ira accenſus*: accenſus non attingit incendia, ſed mo-

tum

tum bilis, adeo, ut accensus & commotus in ejusdem significationis consortium abeant, sintque quasi Synonyma: adeo, ut quemadmodum Cicero ex suo Tusculo profectus in Siciliam non suam, sed alienam, ita ope troporum vox expeditur, à sua propria significatione ad alienam, consistatque in illa. Sic in hoc sermone, *homo est Leo*, hanc vocem *Leo*, tropus devexit ad significandam hominis fortitudinē in eaque constituit.

Troporum autem sunt quatuor species. Ita Arist: tex: 201. lib: 3. Rhet: *Cum autem translationum genera sunt quatuor, illæ maximè excellunt quæ fiunt ex proportione*, id est juxta nos per Metaphoram, sicut & quatuor rerum mundi, classes, quadam necessitate, secum conjunctæ: nam ut omittamus res *disparatas*, cæteræ aut sunt sibi *similes* & translatio faciet metaphoram: aut sunt *de essentia unius ejusdemque*;, tunc tropus efficiet synecdocham, aut sunt *relatæ*, secum aliquô vulgari & ex opinione

ho-

hominum pendente vinculô, conjunctæ, translatio creabit metonymiam: aut sibi *contrariæ* & pugnantes, translatio efficiet Ironiam. Est igitur metaphora immutatio significationis vocis infundata *similitudini*. Synecdoche est immutatio significationis, infundata ut dicam *identitati*. Metonimia *relationi*: Ironia *contrarietati*.

Ab his quatuor tropis, veluti ex quatuor montium jugis, cæteri tropi promanarunt: quòd hi illorum, sint quædam affectiones. Nam allegoria est aut horum omnium simul continuatio, aut singulorum protractio, adeo ut quatuor species sint allegoriæ: Si enim plures voces similitudinis gratiam præhabentes ponentur, erit allegoria per Metaphoræ continuationem posita. Si plures modi Synecdoches, ut est illud, in quo numerus pluralis pro singulari ponitur, scilicet, *Decios, Camillos, Torquatos, Pompejos magnitudine gloriæ adæquasti*, erit allegoria per Synecdochā tracta.

tracta. Si plura adjuncta subjectorum, pro ipsis subjectis inserentur, quale est illud, *enses, aquas, tormentorum strepitū, pulverem hostilem, in occupanda urbe prævenisti.* erit allegoria per protractionē metonimiæ; quia adjuncta multa exercitûs, ponentur pro exercitu & milite. Non dissimile exemplum etiam illud, in quo diversarum rerum, continuantur adjuncta, ipsisq; rebus substituuntur. *Fasces suæ potestati restituit, arma optimo continuit ordine, licentiam coërcuit, scelera castigavit, furta & sacrilegia justissimis addixit pœnis.* In quo allegoria per metonimiam tracta est, signa enim & effectus pro rebus & causis ponuntur, habentq; hunc sensum. *Viros in potestate constitutos ad sui muneris exercitium pertraxit, milites continuit, licentiæ deditos coërcuit, sceleratos castigavit, fures & sacrilegos justissimis addixit pœnis.*

At Ironia semper allegoria est. Est enim se ipsâ unicus & solus tropus sententiarum. Nam periphrasis si per adjun-

adjuncta res circumſcribitur, erit metonymia, ut illud Virgilii, *tempus erat, quô prima quies, mortalibus ægris incipit*, eſt metonymia; adjunctum enim temporis veſpertini ponitur pro eodem. Quodſi quispiam ita exponat, *Veſpertinum eſt tempus, quô prima quies* &c. ceſſat tropus. Reliquos tropos reddemus ſuis radicibus, ubi de ſingulis agemus.

Sectio 66.

De Metaphora,

QUid Metaphora ſit diximus ſupra: metaphoras efficere, eſſe *ſignum boni ingenii* teſtatur Ariſtotel: in Pòéſi cap: 22. *bene enim transferre eſt ſimile intueri. Quare* [paulo ſupra inquit] *non rectè vituperant, qui reprehendunt talem modum elocutionis, ac maledictîs inſectantur*, multo magis qui libellis proſcindunt. Unde ipſe Ariſtot: lib: 3. Rhet: tex: 120. approbat metaphoras. *Hoc maximè probatur, in iis translationibus, quæ ex proportione ducuntur, ut ſi quis dicat*

tubæ sonitum esse cantum alyrum, id est à liræ svavitate alienum. Porrò metaphora Aristoteli est, ex proportione translatio: explicat Majoragius in textum eundem. *Videamus proportionem, quæ semper est in quatuor rebus, ut Geometræ docent: vocemus autem sonum tubæ, clangorem; & liræ, cantum. Sicut igitur tuba ad clangorem, ita lyra ad cantum, & conversa proportione: sicuti clangor ad tubam, ita cantus ad lyram.*

Metaphora duplex est.

Duplicem esse translationem ex proportione, (ait Majoragius in textum Aristot: 263.) alteram non simplicem, alteram simplicem. Non simplex est cum utrumq; nomen ponitur ut clypeum esse phialam Martis. Simplex autem est, cum unum tantum nomen, atq; id translatè ponitur, ut si quis de clypeo verba faciens dicat; *affer mihi phialam Martis,* nec ponat atq; non conjungat clypeum cum phiala

Causæ

Causæ Metaphoræ excogitatæ.

Coegit autem Oratores ad assumenda à simili verba. *imo* necessitas, quia sæpe deest verbum proprium ad rem exprimendam. *ut gemmare vites* quæ vox Ciceroni rustica dicitur. *2do.* major energia & vibrantior significatio, ut *incensus ira*, pro *irato*; *3tio.* Decus & ornamentum orationis *ut flos juventutis, pro pulchritudine. 4to.* quia metaphoræ præcipuè novæ, urbanam reddunt orationem, ac non austeram. *5to* quia metaphora præstat ne ulli rei nomen desit, ut ait Quintilianus, lib: 8. cap. 6. instit: Rhetor.

Regulæ Metaphoræ.

Aristoteles varias virtutes recenset lib: 3. Rhet: *1ma* text: 41. *Et si quem exornare volueris, ab eis, quæ sunt in eodem genere,* (seu quæ sunt sibi similia & secũ convenientia) *præstantissima sumere debes: si verò vituperare, ab eis, quæ sunt deterrima.* Confirmat primam partem

tex: 53. *Translationes igitur à rebus ducendæ sunt, quæ, vel voce vel potestate, vel aliquo alio sensu pulchræ sunt. Plurimum enim interest si quis potiùs auroram dicat roseam, quàm purpuream, aùt quòd adhuc deteriùs rubram.*

2da. Ut sit translatio accõmodata ipsis rebus ita tex: 39. *Oportet autem & addita ad nomen*] id est adjectiva) *& translationes accomodatas sumere, hoc autem fiet, si ex proportione ducantur; sin minus, indecorum apparebit.* ratio *ex tex: 40. Sed videre oportet, sicuti juveni purpura, ita seni quid conveniat: neq; enim eadem eum vestis decet.* Unde approbat ingenium Dyonisii adulatorum, quòd adulatores illi, se artifices apellabant, & illum qui injustè egit, se lapsum esse. Decet enim malorũ authores sua scelera imminuere.

3tia. Ne longè simile ducatur. Ita tex: 49. Aristot: unde in Oratore libro 3tio. Crassus ac veriùs Cicero præcipit. *Ne longe simile sit ductum, Syrtim patrimonii, scopulũ libentiùs dixerim: charybdim bo-*

bonorum voraginem potiùs. Faciliùs enim ad ea, quæ visa, quàm illa quæ audita, oculi mentis feruntur. Sed hæc Crassi ratio, licetsi in meliori gradu translationem constituit, non tamen facit vitiosam Metaphoram. Melius itaq; in Vossio lego. Ideo charybdim bonorum & syrtim patrimonii esse malam metaphoram, quia à re ignota ducitur. Sæpe enim auditores ignorant, quid vox charybdis, quid Syrtis indicet. Unde etiam rectè à Peripathetico improbatur pòésis descriptio, quòd sit Calliope stridor; nam est *in voce non significante*, ut ille ait: id est nescio quid importante.

4ta. Ne sit dissimilitudo, qualis cōperitur in hoc sensu; *Cœli ingentes fornices:* quia fornices, nec magni sunt, nec totum complent circulum, & quia rectîs parietibûs consurgunt. Hic congruit Arist: tex: 75. lib: 3. *Quin etiam obscuræ sunt, si à longè ducantur, ut Gorgias pallida atq; exangvia negotia: tu verò*

hæc turpiter seminasti, male messuisti; nimis enim hæc pòéticè dicta sunt.

5ta. tex: 14. Arist: lib: 3. *Indecoræ translationes sunt, quæ ridiculæ, aut majores, quàm res postulat. Ridicula est: cælum nive montes conspuit. Major verò, quàm res postulat,* puer ferreus ad studia; id enim ætati non convenit, & tex: Aristotelis 47. *Illud quod apud Euripidem, Telephus ait, remo imperans, indecorum est, majus est enim imperare, quàm conveniat.*

6ta. Ne sit minor re significata, ut *saxea verruca* pro *rupe.*

7mo. Si non in eadem re finiatur metaphora à qua inchoata est: quod plurimi authores classici non observant. Nam si in simili, verba sensum debitè significantia non reperiunt, classicas metaphoras aliunde dictas interponũt, claritati magis, quàm translationis gratiæ servientes.

8va. Nimis frequens in oratione metaphora, tædiosam, & obscuram, reddit orationem.

9na.

9na. Ea optima metaphora eſt, quæ rem oculis ſubijcit: ſic textu 226. Urbana dicta duci à translatione, quæ fit ex proportione & ſubjectione ſub oculos, quæ actionem aliquam ſignificant. Ut ſi quis dicat hominem probum eſſe quadratum: translatio quidem erit, nã ambo perfecta ſunt, ſed tamen nullum actum ſignificat. Jllud verò, qui florentem ætatis vigorem habeat, actum exprimit. Itaq; â rebus viventibus optima ducta eſt metaphora.

Nota quadrata figura apud Mathematicos perfecta dicitur.

Signa bonæ Metaphoræ.

1mum Eſt, ſi fiat proportio inter quatuor, bona erit Metaphora, quemadmodum diximus, ubi de Metaphora cæpimus diſſerere: ſicut ſe habet tuba ad clangorem, ita lyra ad cantum. Unde rectè dicitur clangor tubæ cantus. Pariter dum dico *lumen orationis*: ſicut ſe habet cælum ad ſolem, ita oratio to-

ta,

ta, ad ſenſum ſpecialius ornatum: & dum dicitur *flumen eloquentiæ*: ſicut ſe habet ſtagnum ad flumen, ita cæteri vulgares ſermones ad eloquentiam.

2dum. Si ænigma ſeu ſimilitudo bona ſit: à qua ducitur metaphora. Ita textus 50. Ariſt: lib: 3. *atq; omnino ex bene confectis ænigmatibus, licet bonas translationes ſumere, nam ex translationibus ænigmata ſumpta ſunt; quare perſpicuum eſt ratione ſumptam translationem.*

3tium. Si in conſvetudine alteriùs lingvæ vg. Polonicæ, Gallicæ &c. ab omnibus hominibus uſu ipſo, ſuſcepta eſt translatio ſimilitudinis.

4tum Mutua translatio vocis, ab uno ad aliud: de hoc ita Ariſtoteles. *Semper oportet, eam translationem, quæ à proportione* (id eſt metaphora) *ducitur, ab utraq; parte ſibi reſpondere, atq; in rebus ejusdem generis* (ſive ſimilibus & in aliquo dono convenientibus] *fieri, ut ſi phiala clypeus Bacchi dicitur: etiam clypeus rectè Martis phiala vocabitur.*

Unde

Unde si aurora dicitur, rosa cæli, necesse est, ut rosa campestris, sit aurora campi. Sed hæc nimia videbitur in transferendo audacia? At nullus hic excessus: servatur enim proportio, ut enim Cælum se habet ad auroram rubram, ita se habet campus ad rosam. Igitur positâ bonâ similitudine, congruens erit metaphora. Sed tamen novitate excitabit cognitionem, & motum in intellectu novum, nec hactenus auditum. Proinde suspicionem ingeret alicujus in transferendo impudentiæ, à qua omnino immunis est Orator, qui sic transfert. Ex hoc signo quivis solveret objecta vitia à Criticis nostri sæculi.

De Ænigmate.

Ænigma, aut est per metonymiam, & adjunctorum descriptionem, ut est illud Virgilii de puteo.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat, cæli spatium, non amplius ulnas.

Aut per similitudinem, si verba pro-

propriè rei convenientia, prohibeantur à continuatione metaphoræ.

Nam metaphora, ſi propria rei verba non immiſceantur, erit perpetua allegoria, ſeu ænigma obſcurum, *vg. Jam vada & ſcopulos prætervecti ſumus, vela pandamus ulteriori curſui,* eſt ænigma; quia propria non intermiſcemus. Immiſceamus autem ſic: *Jam vada & ſcopulos, ſeditione populi fabricatos prætervecti ſermore ſumus, vela orationis pandamus ulteriori curſui:* erit allegoria nulla obſcuritate obducta.

At & ænigma plenum, multum ad orationem valet: joci enim & jucunditatis ac feſtivitatis cauſa fit. Intellectus enim, ut diximus de luminibus Oratoriis decîpitur: & eo jucundiùs accîpit, dum dicit, *verum hoc eſt, ſed ego non ſperabam:* ut ait Ariſtoteles. Quis enim parum ſvavitatis in illo ſentiet.

Dum ſubera ſuberant ſubera ſuberare memento.

Ju-

Jucundum ænigma, modo Orator, notitiam rei significatæ sibi plene non reservet. Hæc ænigmata ad orationem peridonea, propter jucunditatem censet Aristoteles, de quib9 ita tex: 244. *Voces quæ acutè formantur in ænigmata, jucundæ sunt, nam in iis & cognitio & translatio dicuntur.* Non modo jucunda in oratione, sed etiam utilia eadem perhibet, quæ, ut & similitudines, imaginem veritatis ab Oratore assertæ nominat, atq; sequentem unà regulam ponit. Ita enim lib: 3. Rhet: tex: 79. *Utilis autem est imago, etiam in soluta oratione, sed eâ rarò utendum, quoniam magis Pöétas decet.* Ex quo concluditur ænigmata esse aptissima ad orationem, ut & similia, modo decori ratio servetur & mensura: maximè cum in Vossio legam illam allegoriam ex Platone, *alba amussis in albo lapide*, quæ irritum conatum indicat, ideo esse optimam, quia Pöéticam; ne autem quis ænigmata & hæc similia, à metaphora sejungat habet

oppo-

oppoſitam Ariſtot: Authoritatem tex: 266. *Quod autem imagines ſint metaphoræ jam ſæpe dictum.*

De Catachreſi.

Catachreſis ſpecies metaphoræ eſt: quæ verbum transfert à re propinqva id eſt valdè proximèq; ſimillima, neceſſitatis & ornamenti cauſa ut *minutus animus* pro parvo, *equum Divina Palladis arte ædificant*, pro *conſtruunt*. Simillimîs enim actionibûs, in equi Trojani ſtructura ac in ædificiis uſi ſunt fabri ſic *matris interfector*, *parricida vocatur*: quia utriusq; interfectio, eſt ſibi ſimillima, nec diverſa videtur. Dicitur autem, *abuſio*, non quòd vitioſa ſit tunc metaphora, eſt enim optima: ſed quia ob vicinitatem nimiam, duorum inter ſe ſimilium, potiùs ad proprium ſenſum nec translatum apprehendendum properat intellectus auditoris, cùm nullum aut exiguum habeat diſcrimen, utrum translatè vox ſumitut. Sic dū

Ora-

Orator Orestem matris interfectorem, *parricidam*, compellat, mens nostra potiùs arripit Patrem, quàm matrem trucidatam à filio. At si vocaret viperã Parentis suæ neci natam, intellectus haberet signum, ut vocem, vipera in sensu proprio non assumat.

De hac ita Aristoteles videtur præcipere lib: 3. Rhet: tex: 49. *Præterea vidẽdum est ne longè ducantur translationes, sed è propinquis, ut quæ propriũ nomen non habent, eis illud imponatur, quod statim affine videatur: ut in celebri illo ænigmate: Hominem vidi, æs igne in homine conglutinantem: conglutinationem igitur appellant, cucurbitæ appositionem.* Hinc jam constitutũ sit, ut hæc Catachresis non sumatur, nisi necessitatis causâ: si desit proprium; unde & ornamentũ orationis accedit.

Addo, & illa species Synecdoches in qua ex speciè genus intelligitur, ut *sabellicus sus* pro quovis, potiùs Catachresis est atq; similitudini, cujuscunq; suis, cum Sabellico innititur: Sed quia

hæc

hæc nimis vicina ſunt, ideo ambiguam facit intelligentiam: ſolisq́ꝫ (niſi Oratores urgeat neceſſitas) Poëtis conceditur, ut ait Voſſius.

De Hyperbole.

Hyperbole, ſeu ſuperlatio quoq́ꝫ ex metaphora, & ex metonimia ceu ex arbore ramus excreſcit: eſt enim earum ſpecies. Ita videtur Ariſtoteles lib: 3. Rhetor: cap: 269. *Quin etiam illæ ſuperlationes, quæ probantur; quædam tranſlationes ſunt.* Conſentit Cicero in Topicis. *Aut aliquid quod fieri nullo modo poſſit, augendæ rei gratiâ, aut minuendæ quæ hyperbole dicitur.* Et lib: de Orat: 2do, Cæſar ait. *Etiam illa quæ augendi aut minuendi cauſâ ad incredibilem admirationem efferuntur, veluti tu Craſſe in concione, ita ſibi videri magnum Memmium ut in forum deſcendens, caput ad fornicem Fabij demitteret. Ex quo genere illud etiam eſt, quod Scipio apud Numantiam, cum ſtomacharetur Metello, dixiſſe dicitur. Si*

quin-

quintum pareret, matrem ejus, asinum fuisse parituram. Ubi Memmius cum aliquo gygante comparatur: Metellus stus cum asino per metaphoram.

Porrò hyperbola duplex est, *alia*, cùm metaphora augens, vel imminuens nimiùm, ponitur, ut supra ostendimus: & Majoragius testatur, qui sic inquit in tex: 270. Aristot: lib 3. Rheto: *Est igitur translatio cùm faciem sugillatam, dicat esse mororum calathum: sed quia hæc locutio, modum excedit, ideo nomen translationis seu metaphoræ amittit, & hyperbole nominatur.*

Altera species hyperboles est, cùm supra exeggeratum simile, res attollitur: ex quo etiam ementiens superjectio dicitur *ut fulmine ocyor, lapide durior*: qui modus loquendi, non vulgarē velocitatem, aut pertinaciam indicat. Unde per hanc hyberbolam, ex gradu intensissimo, significatur gradus remissior quidem, attamen notabilis & insignis. Hoc enim *fulmine ocyor*, indicat velo-

velocitatem & contentionem currendi, exaggeratam ſeu ſingularem, & fere maximam, in ſuo ordine: aut indicat affectus exceſſum, quo non omnes ſuper una re moventur æquè.

Sumitur autem hyperbole ut Voſſius recenſet. *imo.* A rebus ſimilibus [quanquam omnia per hyperbolam comparata, in eodem genere convenire aliquantum debent) ut *melle dulcior* ſcilicet nimis ſvavis in propria ſphæra. *2do Ab animalibus*, ut Luſciniâ vocalior. *3tio A perſonis falſorum Deorum*, ut Dianâ formoſior. *4to A perſonis fabuloſis*. Cyclope immanior Gryllô ſtultior, Vertumnô inconſtantior. *5to A perſonis comœdiarum*: ut Thraſone Terentianô glorioſior, Demea jurgioſior, Phormione confidentior. *6to A Perſonis Hiſtoricorum*: Zoilô invidentior, Catone ſeverior, Timone inhumanior, Cunone obliviosior, Fabiô cunctantior, Socrate patientior. *7mo A Gentibus*: Pænô perfidior, Scythâ aſperior,

Cre-

Cretensi mendacior, Pigmæô brevior, Care vilior, Scythotaurîs inhospitalior.

Ex hactenus dictis liquet, posse quoque ab iisdem rebus duci metaphoram ab Oratore, à quibus ducitur hyperbole: adeoque Pòéticam vocem non obesse, ut si quis Isabellam Imperatricem, à cujus corrupto corpore, immutavit vitam, Divus Borgias, vocaret Dianam, non enim Diana lunam, sed quandam fictã personam indicaret. Porrò tunc non nisi vox Pòética est, cum res mundi, nomine à Pòétis impositô, insignitur; ut hic: *nocte concubia decrescens illuxit Diana*: ubi Diana pro luna sumitur, non pro ficta persona, adeòque vox pòética est

Judicium de Hyperbola Aristotelis.

imum. tex: 271. lib: 3. Rhet: *Habent superlationes, juvenile quiddam, vehementẽ enim animi motum indicant. Itaq; irati superlationibus utuntur.* Fuerat forsitan Aristoteles, in ea Stoicorum sententia, ut animô commoveri, repugnare viro-

rum gravitati voluerit, quare cõmoveri animo juvenile reputat. Diximus autẽ de affectibus Colloqu: 3. parte 1. Omnem orationem debere esse non tantum Ethicam sed & Patheticam, id est affectibûs & motibûs plenam. Quod ipsum amplè confirmat Aristoteles. Igitur hac ex causa omnes approbantur hyperbolæ, quas audacter non nemo exsibilat. Unde & illa Gregorii Ossolinij Hyperbola de regno Poloniæ, *prospicit ex illa altissima orbis Christiani specula, cui thronus Polonorum Regum superimpositus est*: est bona; quia vehementem suæ Patriæ amorẽ indicat. Quòd autem hic diximus, de una hyperbola, idem esto judicium de cæteris.

2*dum Judicium* Aristotel: textus 272. *Hoc genere* [Hyperboles) *maximè utuntur Attici Oratores. Quare senem, uti superlatione, minimè decet.* Si Attici utuntur Oratores, igitur optimi: nam eos excellentissimos fuisse tum in Encyclopedia Secti: 13. tum in characteribꝰ

ora-

orationis uberrimè à Sectio: 45. demonstravimus. Senes autem quos sæpè facundia destituit, & calor animi, cum effervescere in oratione non possunt, ab hyperbolis abstineant.

Sectio 67.

De Synecdoche.

SYnecdoche, est 2dus tropus principalis, qui à duobus extremis non separatis sejunctisq; à se essentiâ, promanat. Hanc Synecdoches substantiam ita ex ethymo Græco Scaliger educit. Jlli enim, *sin*, significat, partem & totum esse simul: & significat exceptā qualitem, aut aliud à parte toti attributum: *docheste* seu *dechesle* significat ipsum motum.

Quo positô, duo sunt modi Synecdoches *imus* cum vox significans partem, transfertur ad indicandum totū: *alter* cū à toto vox transfertur ad partē.

Prosequamur tamen omnes modos Synecdoches, quos adferunt authores,

ad quorum notitiam necessaria est totius Metaphysici, Physici, artificialis, numeralis, integralis ex Philosophia cognitio. Itaq;

A toto ad partem translatio & intellectio fit.

1mo. Ex toto metaphysico seu genere, ejus pars seu species. *vg. Ales* pro *aquila*: nam ales hic, aquilam indicabit.

2do. Ex toto Physico pars: *S. Petrus est in cælo.* id est, anima.

3tio. Ex toto artificiali pars artefacti *vg. Calicem emi*, cum quis pro materia non nisi persolvit, non verò pro forma.

4to. Ex toto numerali pars numeri, id est ex pluribus unus. *Oratores visi sumus.*

5to. Ex toto integrali, pars ad integritatem pertinens: *vulneravi hominem*, id est ejus *manum* & *corrupta domus*, cũ tectum solùm sit vitiosum.

A parte ad totum translatio, seu intellectio ex parte totius fit.

1mo.

1mo. Ex parte Metaphysica seu specie genus, tanquam totum Philosophis potentiâ. *vg. Sabellicus sus*, pro quovis. *Aquila* pro alite quocunq;. Hic modus solis Pòëtis conceditur potiùs, quã Oratoribus. Alias per metaphoram & quidem Catachresim ponerentur. *vg.* Tyberis prò quocunq; fluvio: si itaq; necessitate aut affectûs vehementiâ ad id compulsus non fuerit Orator, erit vitium.

2do. Ex parte Physica totum Physicum: ut *octo animæ fuerunt in arca* id est homines.

3tio. Ex parte artificiali seu materia totum artefactum, ut *ex pinu navis*, ex ferro ensis.

4to. Ex parte numerali totum numerale: id est ex uno plures, ut Romanus prælio victor.

5to. Ex parte integrali totum integrale. *vg.* caput pro homine. sic Livius lib: 21. *Placentini captivi, ad duo millia capitum liberorum, redditi colonis.* Caput, ponitur pro homine. De



De Antonomasia.

Antonomasia, species Synecdoches est: semper enim genus ponitur pro specie: hoc præcavendo, quod cognominis naturam, illud induerit. Unde juxta Susenbrotum, Antonomasia est, quæ cognomen aliquod, non ex privata sed publica, cætus alicujus authoritate, indit: sic *Hypponensis Præsul*, pro Augustino: *Magister sententiarum* pro *Alexandro de Ales*: *Seraphicus Doctor*, pro S. Bonaventura: *Angelicus* pro S. Thoma: *subtilis*, pro Scoto, *Eximius*, pro Suarez, *Orthodoxus Rex*, pro Rege Poloniæ, *Christianissimus*, pro Galliæ, *Catholicissimus* pro Hispaniæ Regibus; imò *metaphora* pro translatione innixa similibus. Omnis enim tropus, in re metaphora est, cum tranferat, omnis intellectio, omnis denominatio est. Quare si dicat Orator; Rex Orthodoxus, Christianissimus &c. et si non addatur Poloniæ, Galliæ, omnibus perspicuum

erit Regem Poloniæ, Franciæ, ab Oratore designari. Quare & epithetum potest esse antonomasia, ut quoq; in Virgilio.

Thalamo quæ fixa reliquit. Impig.

Hoc adjectivum *Impius*, ponitnr pro Ænea, quòd personæ inductæ, in ejus compellationis consvetudinē intravere. At illæ antonomasiæ, quas nonnulli eruditas appellant, ut *Irus* pro paupere, *Vertumnus* pro inconstante, sunt potiùs classicæ metaphoræ & longo usu approbatæ. Unde recte Georgius Worpizius Soc: J. lib: de Rhet: par: 4. pag: 269. ait *Infer non esse antonomasiam, si ponatur Cretensis pro mendaci, Siculus pro ingenioso, Cares pro vilibus militibus &c.*

Sectio 68.

De Metonimia

METonimia, versatur semper interdistincta, & substantiâ suâ disjuncta, relata tamen ad se, & quadam affi-

nitate

nitate conjuncta extrema, fitq; duobus modis. *1mus* dum adjunctum ponitur pro subjecto. *2do.* cum subjectum pro adjuncto ponitur. Itaq; vox, in hac, ut in cæteris tropis, debet immutari, ut vox significans adjunctum, novæ significationis potestatem adeat. Sic dū dicimus: *scelus comprehensum*, scelus, indicat potiùs illum, qui causa fuit sceleris, non ipsum effectum.

Per subjectum intelligitur adjunctum in hisce casibus.

1mo. Dum ponitur causa pro effectu ut *Livium legi, id est ejus scripta.*

2do. Cum ponitur continens pro contento ut *ut testis est Jtalia, id est Itali.*

3tio. Cum possessor ponitur, pro re possessiva. *Ardet Ucalegon, id est ejus domꝰ*

4to. Dum ponitur tempus, pro re, quæ facta est in hoc tempore. *Ut hujus seculi insolentia*, id est hominum qui vivunt in hoc sæculo.

5to. Cum Dux ponitur pro exercitu, ut

ut *Annibal apud Cannas cecidit 60. millia Romanorum.*

6to. Cum pro consequente ponitur antecedens *vg. audire pro obtemperare.*

Per adjunctum intelligitur subjectum in hisce casibus.

1mo. Pro causâ dum ponitur effectus: *præceps ira*, id est, iratus: *pallida mors*, id est, mortuus.

2do. Cum ponitur advocatus, pro cliente. Cicero pro Cæcinna. *Nego me edicto Prætoris restitutum esse: me*, id est clientem.

3tio. Cum signum ponitur pro re signata, ut illud, *cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.* Et illud Virgilii. *Non illum populi fasces, non purpura flexit.*

4to. Cum nomen ponitur pro re ut Livius lib: 1mo. *Ad singula oppida, circumferendo arma, nomen omne Latinum domuit*: nomen Latinum, pro Latinis ponitur.

5to. Cum consequens ponitur pro

antecedente. *Ut aratra jugo referunt suspensa juvenci:* pro vespertino tempore.

In usu Synecdochæ, & metonimiæ, optima norma est, consvetudo loquendi & alienarum lingvarum exemplum; si novus formandus est tropus.

De Periphrasi.

Periphrasis cum per adjuncta rem describat, spectabit ad metonimiam. De hac tamen non admodum oportet esse sollicitos Oratores, nisi forsitan affectuum excitandorum causâ. Nam Aristoteles. lib. 3. Rhet: inter virtutes emendatæ elocutionis, alteram ponit, ne periphrasi utamur: sic enim: *Altera cum suis ac propriis nominibus res appellatur, non verò circumscribitur.*

Ad metonimiam quoq; referendū est illud Ciceronis exemplum, quod aliqui ad hyperbaton reijciunt. *Gladium vaginâ vacuum, in urbe non vidimus,* id est, vaginam gladio vacuam. Nam gladius vaginæ subjectum, & illa adjunctum

est gladii, mutuoq́ pro se ponuntur.

De Metalepsi.

Metalepsis, est translatio in qua per interpositionem plurium troporum aut unius, aliquoties repetiti, ad genuinum sensum, pervenimus. Sic dum dicitur Æneidos lib: 1mo. *Speluncis abdidit, atris*: per atras obscuritatem intelligit, vi metonimiæ; per obscuritatem intelligit profunditatem, tanquam adjunctum obscuritatis diurnæ. Item Eccloga 1ma. *Post aliquot mea regna videns, mirabor aristas* per *aristam* partem spicæ, intelligit *totam spicam*: per hanc autem intelligit *adjunctam* messem; per *messem*, *causam* ejus nempè, *æstatem*, per hanc, tanquam partem anni, intelligit *totum annum*, adeo ut sensus sit: *post aliquot annos mea regna videns mirabor*. Hic tropus ut per se obscurus, ita rarius pöëtis quoq́ concedendus, attamen illi sunt liberiores, quàm Oratores.

Sectio 69.

De Ironia.

IRonia, est quartus tropus, ejus virtutis, ut ab uno contrario transferatur vox ad significandum aliud contrariũ. Sic ironicè *lupus* significabit, clarum pastorem ovium: clementia sævitiam. Non semper est illusio, sed sæpe laus exaggerata. Talis est in Cicerone pro Rabirio. *Namq; hæc tui quæ te hominem clementem, popularemq; delectant, I lictor, manus colliga.* In quo singulariùs clementia Rabirij illustratur. Jllusionis autem exemplum in Clodium, *mihi crede, integritas tua te purgavit, pudor eripuit, vita ante acta servavit.* Advertit Fabius lib: 8. cap: 6. *Cum risu quodam contraria iis dixit.* Cognoscuntur autẽ sensus, dictis contrarij, *Personâ*: ut si de Sardanapalo dicatur, fortissimus ille virorum, ac injuriarum àëris patientissimus: *Naturâ* vg. lupi: & ipsa semper appositâ pronuntiatione.

De Allegoria.

SAtis supra de allegoria diximus quòd sit continuatio metaphoræ, Synecdochæ & Metonimiæ, imò & Ironiæ hic exempla proferamus.

1mum exemplum, Allegoriæ in Metaphora fundatæ. Cicero pro M Cælio *Quoniam emersisse jam è vadis & scopulos prætervecta oratio videtur mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur.*

2dum. Allegoriæ Synecdoche innixæ ex agraria 2da *Cum haberet respubl: Luscinios, Calatinos, Acidinos homines non solum honoribûs populi, rebûsq; gestîs, verū etiam patientiâ paupertatis ornatos, & tunc cùm erant Catones, Philippi, Lælij quorum &c:* ubi pluralis numerus per Synecdocham continuatus in allegoriam migrat.

3tium. Allegoriæ à Metonimia promanantis est illud. *Sine Baccho & Cerere alget Venus.*

Sectio 70.

De illis quæ non ſunt tropus.

PRima eſt Onomatopæia, quæ imitando ſonum naturalem rei, format vocem, ut paſſer pippit, rana, coaxat, bos mugit, Leo rugit; pippio, coaxo, mugio, rugio ſunt voces ad imitationē ſoni, vocis paſſerum, ranarum, bovis, Leonis fabricatæ.

2dum Eſt Hyperbaton quod eſt immutatio, & perturbatio ordinis grammatici ad concinnam & ſvavem auribꝰ reddendam orationem. Cum autem ordo grammaticus is ſit, ut ponat *imo.* caſum rectum, verbum perſonale, adverbium, caſum verbi, & mox nomini adijcit adjectivum, ideo hæc, vî hyperbati poteſt diſturbare Orator, maximè cum egregiè ſonat periodus & membrum apud Oratores, ſi verbo claudatur, & adjectivum præponatur nomini, poſtponatur verò pronomen.

Occaſione hujus hyperbati præno-

nendi

nendi sunt; qui ad artem oratoriam aspirant. *imo.* ne nimis sint longæ periodi aut breves, sic Aristotel: text: 164. *Oportet autem & periodos & membra, neq; mutilas esse neq; longas.* Multo magis primam ab ævo Oratorum consvetudinem reijcit, apud quos integra historia & pars orationis, vel oratio, unica fuit periodus. Ita enim Arist: tex: 155. *Voco autem tractam ac pendentem elocutionem, quæ nullum ex se finem habet, nisi res quæ exponitur ad finem pervenerit, quæ sanè est injucunda, quoniam infinitè fertur; omnes enim finem videre exoptant.* Ergo ut in musica præcipue quæ ad saltus adhibetur, sunt periodi, ita in oratione. Si enim numerus est in sono, multò magis in verbo. Et sicut ea quæ concinnè luduntur, sunt faciliora ad percipiendum memoriâ, quàm illa, quæ pueri indocti distortè lyrîs promunt. Ita facilius memoriæ adhæret ea oratio, quæ numerum habet, quàm illa, quæ dissoluta est. Hæc satis de tropis.

De

De figuris autem tam verborũ quã ſententiarum amplè Soarius lib: de Rh: 3tio tradit, ac reliqui Authores. Jllarũ naturam acriùs penetrans Voſſius, breviter definit: quod figura orationis ſit *extraordinarius modus loquendi*, quaſi is, quem, conſvetudo ſermonis reſpuit. Jllæ itaq́ minùs valent in epiſtolis, quia hæ familiari ſermoni ſubſtituuntur, niſi Epiſtola orationis vices ſubeat. Et quia diſcurſus noſtri familiares, vix affectus admittunt, ideo vix quoq́ locum concedunt figuris. Quia verò oratio oportet, ut ſit pathetica ſeu imbuta affectibus, ideo figurîs in oratione ibi locus eſt, ubi & ſe ipſum & auditorem, Orator commovet. Sed hæc de inſignioribus figuris intelligendum. Licet ſi autem aliquæ magis Pòëtarum, quàm Oratorum propriæ videntur, tamen ſicut ornamenta Pòëtarum, juxta Decori legem uſurpat Rhetor, ſic & figuras.

Addunt hic fere omnes Rhetores, ut

ut artificium insertæ insignioris figuræ occultetur, ne ultro intrusa, aut attracta videatur, sed potiùs invitata, aut veriùs spontaneè & quasi ex improviso irrepens. Quam legem minimè secutus Isocrates, qui in suo Panathenaico, consultò formatas, inductasq; testatur. Quare in usu figurarum materiam, & suas ad dicendum naturales facultates, vim vocis, & animi impetum, vel remissionem consulat Orator, ne dicendi ars affectata appareat.

Hæc satis videntur dicta de ornatu orationis, reposito tū in translatis verbis, tum in figuris, quæ faciem diversam dant sensibus, oportet ut excludamus vitium unicum quidem, sed maximum nempe frigiditatem orationis.

Sectio 71.

Oratio non sit frigida.

I. Aristot: lib: 3. Rhet: tex: 59. *Quatuor modis elocutio fit frigida: primo in jungendis nominibus. 2do in peregrinarum*

vocum usu. 3tio In epithetis non accomodatis. 4to in translationibus.

II. Juncta nomina sunt, armi potens, grandiloquus, velivolus: *quibus Pòëtæ frequentius utuntur* (ait Majoragius) *licet Oratores interdum admittant.* Nam de usitatis conjunctis, ut est vox omnipotens, non est ulla hìc ratio dubitandi. Pro his novo conjunctis verbis, sequens est regula ex Aristotele lib: 3. Rhet: tex: 70. *Solent autem homines vulgò junctis uti verbis, cum alicui rei nomen, nondum est impositum & facilis compositio.* Talia sunt in Polonia officiorum nomina, *Dapifer*, *Subdapifer*, *Vexillifer*, & alia similia, cũ à latinis, hiscé officiis, nondum nomen esset inditum, & facilis compositio: quas si hæc ratio non tuebitur, Pòëticæ sunto voces, quibûs uti Orator aliquando potest, ut dicemus infra. *Peregrinæ* voces hic sunt quæ ex aliena lingva ducuntur: de his satis infra, ubi de voce barbara, Sectio 73. Epitheta non accomodata sunt, aut *à longe petita*,

ut *desultoria scientia, jentaculum ambulalorium*, apud Apuleium (ex Aristot:] aut *intempestiva & inania*, ut lac album, humida vina; aut nimis crebra. Exemplũ ex Apuleio dat Majoragius. *Hymettos Attica & Isthmos Ephiræa, & Tenaros, Spartiaca, glebæ felices, æternum libris felicioribus creditæ, mea vetus prosapia est.* Unde non reprehenditur Poëta si dixerit, dentes albi, Cygnus candidus, durus adamus, ferrea telorum seges, sed apud oratores ut agit Quintil: *quæ nihil efficiunt epitheta redundant.* Ergo in adjectivis, liberiores sunt Poëtæ quàm Oratores. Cur hoc? quia ut tex: 66. Aristot: *Subita dictio virtute caret, nimis autem ornata vitiosa est.* Unde illa melior, quàm ornata per epitheta nimis. Ex quo Aristoteles hanc censuram Alcidamantis orationi affigit tex 68. *Epithetis seu quibûsdam adjectîs nominibûs, non tanquam condimentîs, sed tanquam cibîs utitur, adeo enim crebra & majora quàm deceat, & aperta usurpat: non enim sudore*

T2 *dicit,*

dicit, sed humidum sudorem, neq; ad Isthmia, sed Isthmiorum celebritatem: neq; leges, sed civitatum reginas leges: neq; cursu, sed animi impetu, cursorio, neq; musæum, sed inquit cum naturæ accepisset, & tristem animi curam; neq: gratiæ, sed popularis gratiæ, fabricator & dispensator voluptatis audientium, neq; ramîs, sed sylvæ ramîs occultavit: neq; corpus velavit, sed corporis pudorem & cupiditatem, animi repræsentatricem: hoc autem & adjunctum est, & epitheton, quare poema fit & ita immensam animi exuperantiam (intellige indicat.] *Quare cum pöetico more loquantur quia rem indecoram faciunt & ridiculi & frigidi fiunt, & propter loquacitatem incidunt in obscuritatem.*

III. 4tum est, quod frigidam orationem reddit, sunt translationes indecoræ, id est aut ridiculæ & propriæ comicorum, aut nimis altæ & exageratæ, propriæ Pöetarum tragicorum. Exēplum ex Majoragio in tex: 74. Aristot: *Ut si quis dicat Jovem mingere cum pluit, ridicu-*


ridiculus erit ut Furius: Jupiter Hybernas cana nive conspuit Alpes. Alterius generis est: ut si quis dicat montes belli fabricare, campos pacis afferre, aut linguâ Cælũ ferire. Item gestiunt pugni mihi.

IV. Et iã severi Catones hosce hic adductos sensus Aristotelis, acuunt in obeliscos & pugiones ut egregios moderni scriptores sæculi configant. At contra hæc tela clypeum porrigit, Peripatheticus Orator lib: 3. Rheto: cap: 16. In quo præfinit quando hisce verbis uti liceat tex: 137. *Ei verò qui commovere animos quærit* (id est affectum aliquem ciet, ex iis de quibus colloquio 2dò) *conveniunt epitheta, juncta nomina, & peregrina. Ignoscitur enim irato si dixerit, se passum esse malum Cælivagum aut pelorium.* Ex Thessalica lingva Latinum factum.

V. Item tex: 139. *Et quando jam Orator auditores obsederit, atq; extra se rapuerit, vel laude, vel vituperatione, vel irâ, vel amicitiâ. Tunc exultare verborum licentiâ*

poterit & quodam, quasi divino spiritu, mentes audientium sursum ac deorsum. (inquit Majoragius) *versare.* Hoc usurpavit Cicero, tum in aliis orationibus, tum pro Cornelio Balbo sic excurrit in Cnei Pompei laudem. *O, nationes, urbes, populi, Tetrarchæ Tyranni, testes, Cnei Pompei non solùm virtutis in bello, sed etiam religionis in pace. Vos denique mutæ regiones imploro, & sola ultimarum terrarum vos maria portus, insulæ littoraq;. Quæ est enim ora, quæ sedes, qui locus, in quo nō extent hujus, cùm fortitudinis, tum verò humanitatis, tum animi, tum consilii impressa vestigia? huic quisquam incredibili quadam gravitate, virtute, constantia, præditum, fædera scientem neglexisse, violasse, rupisse, dicere audebit.* In quæ Ciceronis verba, ita commentatur, Majoragius. *Nihil hac laude sublimiùs, nihil audaciùs inveniri potest, in qua sunt peregrina verba & planè pòëtica, & juncta & addita. Peregrina sunt illa Tetrarchæ, Tyranni: Pòëtica locutio, planè est ea. Vos deniq; mutæ regiones imploro &c.* VI.

VI. Omnes has voces poteſt uſurpare Orator per Ironiam: ita tex. 142. Ariſto: *Cum Ironia licet hujusmodi verba uſurpare, ſicuti Gorgias faciebat, & Socrates in Phædro.* Sicut uſurpavit ridendi gratiâ in Oratione pro Seſtio Cicero. *Ut illo ſupercilio tanquam atlante cælum, niti videretur.* Et infra *Nobilitate ipſa blanda conciliatricula commendatus.* Et 3tio Epiſtolarum. *Ullam Appietatem aut Lentulitatem valere apud me, plus quàm virtutis ornamenta exiſtimas?* Livius verò *Patavinitatem* poſuit ut teſtatur Gallutius. Et illud Tuſcul: quæſt: *Quid beſtiæ? non frigus non famem, non montivagos, atq; ſylveſtres curſus, luſtrationesq; patiuntur.* Omnia itaq; illa quæ frigidam orationem efficiunt, ſi adſunt præſentes quos recenſui caſus, optimi caloris ſvadam non frigidam creabunt. Ultimo tandem neceſſitatis causâ.



COL-

COLLOQUIUM TERTIUM *De Grammatica verbisq; non tropicis.*

INterea dum hæc diceret Faustinus adolescens in littore, proximi fluminis aliquid ex libro, frequenti murmure acceleratîsq; digiti ad frontem ictibûs, memoriæ mandabat. Cognitum Faustino & Jovitæ fuerat, quòd latino idiomate mentem in tenendo arduam, pulsasset. *Tum Jovita.* Hæc inquit lingva Faustine quæ nostram integram consumit adolescentiam: nescio enim, quis fascinus nobis injectus, ut si quis hanc nesciat, elingvem se existimet.

Faustinus minimè *inquit* sed si quis eo se demisit, ut in collegio sapientum virorum nolit esse, hanc contemnat, imò, cum duo genera honestorum ac turpium hominum sint, cui secundum placet lingvam Latinam non amet. Ciceronis enim id arbitrium est. *Scire lingvam Latinam non est magnum at nescire turpe.*

turpe. Quanquam in præsens scire eandem magnum est cùm omnia scientiarum monumenta, hâc clavi reclusa jacent. Cæteri sermones à se desciscunt vel vitio prurientis vulgi, vel bellorum & calamitatis occursu. Sic bellis progenitam, lingvam Italicam, videbimus inferiùs, & quidem etiam à majoribus nostris illatis. Jam oratio Latina ceu casta ac incorrupta virgo ut ait Cicero, servatur semper, præfectîs eloquentiæ, in id semper conspirantibûs, ne quid insolēs irrepat pariꝗ́ vitiô violet idioma.

Sectio 72.

Orator sit Grammaticus bonus.

OPortet igitur primum ut omnis Orator sit Grammaticus bonus, ut non modò perspiciat propriam vocum significationem, verùm ita loquatur ut quandoꝗ́ Orator sic loqui non erubescat. Ut enim solecismus ac barbarismus est vitium Grammatici

ita

ita (teste Cicerone) & Oratoris: cui character ille Romanus attenuatus (de quo Sectio 57.] in usum se insinuat. Quæ igitur grammaticorum eædem & Rhetorum regulæ sunt. Quare ut Grãmaticus declinat nomina, flectit verba per tempora, ducit adjectiva per formas, possessiva à possessore elicit, patrium nomen trahit à patria, *vg.* Polonus à Polonia: attollit per gradus comparationis ac superlationis, quomodo Sachinus in vita P. Julii Mancinelli, panis albissimus ponit, remittit diminutiva, *ut plebs plebecula, comestio comestiuncula, quæstio quæstiuncula, levis leviusculus*; Et quæ verba inchoativa, frequentativa, diminutiva, meditativa, *ut frigesco, lectito, sorbillo, esurio*, vis Grãmatica elaborat, ducit, eadẽ flectere, ac formare oratoribꝰ cõcessũ est. Nã si grãmaticorũ est genꝰ vulgare orationis, & quotidianus sermo, ut hactenus nemo ambigebat: jam verò *Oratoris vitium vel maximum est* (juxta Cice: Dialog:

cum

cum Q. Cicerone fratre) *à vulgari genere orationis abhorrere.* & juxta Cornificium, ejus eſt virtus ſingularis, ad infimum & quotidianum ſermonem deſcendere; neceſſum exiſtimo ut quæ Grammaticis conceſſa ſunt, eadem Oratoribus minimè negata videantur. Maximè cum hac regula freti multi Oratores, quos in Chronologica propoſui tabellà, plures voces, diminutivas, frequentativas, &c. ſuis immittant orationibus, quas in lexico Latinæ lingvæ reperire difficillimum. Unde rectè Ariſtoteles, Oratoribus lib: 3. Rhet: cap: 7. confert poteſtatem, imminuendi verba; dum dicit: *poſſunt etiam ipſa nomina diminui. Eſt autem diminutio, quæ malū vel bonum, minus videri facit, ut Ariſtophanes in Babilonijs cavillatur: cum pro auro dicat aurulum, & pro veſtimento veſtimentulum, & pro convitio convitiolum. Cautè vero rem utramq; tractare oportet, & in utraq; modum ſervare:* Hic Jovita veluti ad cytharam orphei, ſubſiliit. Cauſa

tanti

tanti tripudij fuerat, quod ubi non nemo præsentis sæculi censor, in magni *Ossolinii Oratione* hanc vocem *plebecula*, virgâ censoriâ notavit, ad grammaticæ potestates non satis respexit. Et tamen *inquit Jovita* sunt, qui laudem ex inscientia, lucrantur.

Faust: Certe hos Criticos eorumq; mentem pridem Tarquinius, Gallutius, oratione 6. eleganter explicuit: sic enim. *Neque mihi statuam in curia postulo, quod faciunt novi literatores, ubi scripturam, aut etiam in ipsa scriptura correxerint apicem, ac literulam mendosiorem, quasi Tygranem bello cæperint, aut Romanam Rempub: diuturna tyrannide liberaverint.* Sed non invideamus illis statuam in propositoq; sermone persistamus.

Sectio 73.
De Alvaro.

ORti sunt hoc sæculo nomenclatores, qui postquam opulentiâ congenitâ

genitâ privaverunt inſtitutiones Alvari, opus aliquod emendatum ac novum procreaſſe ingenij ſui partu, jactent ſingulariùs. Noſtri tu præcepta grammaticæ hujus ſæculi, manca ſunt, ſicca ſunt, quæ recentiores ut cum Platone dicam logodædali fabricarunt. Equidem ſic exiſtimo, ut ſi quis novam puerorum inſtitutionem in lucem profert, eâ aut locupletare antiquæ inopiam aut ſi antiquior dives eſt, eam ad compendium arctius reducere, ut puerili memoriæ magis conſulatur, debeat; idq́ faciat, petitâ authoris veniâ, ne ut Henricus Stephani, Joannem Scapulam compilatorem ſuum, plagiarij, afflixit nomine, ſic eandem labem ſi non ab Alvaro quoniam defunctus eſt vitâ, ſaltim à cæteris viris inuſtam ſentiat. Sed in his recentiorum logodædalorū ſcriptis, plura ab inſtitutione grammaticali repulſa ſunt. Quoniam autem hæc adoleſcentum informatio, non ſolum debet ad conſvetum purum ac dilucidū

ſermo-

ſermonem, ducere, verùm ad emaculatam Rhetorum orationem, imò & hiſtoricorum & Pòëtarum, ſtylum, viam ſternere, ne alia rudimenta grammaticæ, pro his ſingulis eloquentiæ provincijs cogantur parari, proinde cum cæteri noviores id omittunt, rectè ab Emmanuele Alvaro Soc: JESU, iſta intimata ſunt: quæ ego licet non omnia, magna tamen ex parte excerpenda ex Emmanuele duco, ut ſciant qui alienîs imbuuntur inſtitutionibûs, quid illis deſit ad perfectiorem lingvæ Latinæ peritiam.

1ma. Illa regula elegantiſſima ſit pag: 18. *adjectiva ne multa ſint ne inepta ne temere congeſta, ſint delecta, à bonis authoribus petita, ad ſummum duo.*

2. *Barbaram* conſtructionem reijcit pag: 311. ut non dicatur noſtra intereſt ſed noſtrum.

3. *De obſoletà* verborum cum caſib9 conſtructione admonet, pag: 240. quod impleo uſitatiùs ablativo, quã genitivo: jun-

jungitur, raro autem præfixa præpositione de ablativo.

4. *Priscum* quid redolet [pag: 34.) si ponatur *nostratis arpinatis*, *Privernatis in nominativo pro nostras Arpinas Privernas*. Prisca pariter constructio (238.) *Exigo te pecuniam*, sed potius à te. *Medicor* verbum priscum esse admonet pag: 259. Et copulationem verbi, utor cum accusativo 264. & pag: 278: *majoris* nunquam fortasse ponendum sed pluris. Scrupulum quoq; inijcit 279. huic, *pluris pretio* pro quo mavult dici *majore pretio* aut carius, iam ibidem his vocibus *magnò permagnò paululò*, apponi apud Pöetas & Historicos, substantivū refert, sine quo eleganter ab Oratoribus usurpantur: infinitivum terminatū in *rum* & *assere* priscis solum concedit. Priscum nec usurpandum cum genitivo nomen *opus*, nisi figura subsit, imò etiam, ab eodem accusativum reijcit pag: 303.

Pöetica sunt *metibor* pro *metiar audibo*

pro

audiam pag: 98. Negat etiam Pòétis aut ſaltem vix uſurpandam permittit contractionem quorundam verborum *vg. laſti* pro *laviſti faſti* pro *faviſti*, *miſti* pro *miſiſti*, *vixet* pro *vixiſſet*, *dixti* pro *dixiſti*. pag: 100. *divellimur inde Iphitus & Pelias mecum*, cum ablativo perſonale, in perſona apud Pòétas rectè, non verò apud Oratores concordat. pag: 225. *Remo cum fratre Quirinus jura dabant*, optimè apud Pòétas apud Oratores jura dabat. pag: 227. *Iſmarios Hebrum cũ Strimone ſiccat*, bene ponit Pòéta, Orator verò *Iſmarium* dicat potiùs *Ibidem*. *Erudio* duobûs accuſativîs in carmine cingitur: in oratione accuſativo & ablativo pag: 239. Advigilo, pugno, bello, occumbo morti, cum dativo junctum, Pòéticum eſt. pag: 253. Neutra non ſejuncta ab accuſativo ſignificante partem, 255. Et ibidem roro, ſono, ſudo, cum ablativo maximè Vatibus permiſſa ſunt. Præpoſitionem quandoq; ijdem à Provincijs ſejungunt, cũ motus indi-

indicatur, quod & Hiſtoricis commune pagina 274. *Ibitis Italiam.* Pagina 296. nonnulla etiam participia præteriti temporis, cum genitivo ponuntur: horum quædam liberiùs à Pòétis & Hiſtoricîs videntur uſurpari.
Pagina 301. *Par apud Pòétas etiam, genitivo caſui jungitur.* 302. *Immunis etiam ſæpe cum genitivo apud Pòétas.* 303. *Indignus, orbus, caſſus, onuſtus eundem caſum, rariſſimè tamen, recipiunt. Dives etiam apud pòétas.* 309. Pòétæ non nunquam more Græcorum ad comparativum addunt adverbium magis. 311. *Pronomen, idem, more Græcorum, cum dativo apud Pòétas reperitur.* Horati: *invitum qui ſervat, idem facit occidenti.* Corrigit Orator, quod occidens. *Barbarum videtur dum veterum exempla deſunt, hoc pronomen idem cum ablativo & propoſitione jungere vg.* hoc eſt idem *cum illo* ſed hoc idem atq; illud. 326. Subter interdum apud Pòétas potiſſimum ablativum habet. 33?. *ne* poſcit *& imperativum maximè apud*

Pòétas. Quamvis interdum indicativo adhæret, præſertim apud Pòétas 409. Patronimica propria Pòétarum perhibet.

Ad Oratorum quoq; abſolutam eloquentiam, non minùs armat adoleſcentes Alvarus. 267. *Accidit, contingit, evenit, uſuvenit, & alia ejusdem generis apud Oratores fere infinitivum reſpuunt, conjunctivo modo cum conjunctione gaudent* 296. *Inveniuntur etiam neutra 4ti ordinis & alia, ut arandus, fodiendus, pænitendus, pudendus, pigendus, pranſus, impranſus, cænatus, incænatus, morte obita obeunda, evigilata, conſilia omnia ſucceſſa apud Ciceronem: præterea præſertim (apud Pòétas) erratus, roratus, ſudatus &c. quibus ſine exemplis ac delectu non utendum.* Pag: 310. Oratores *ablativô partis rariùs utuntur, jam hanc in accuſativum frequenter mutant Græcos imitati Pòétæ vg. os humerosq; DEO ſimilis.*

Obſcuritatis vitia quàm enucleatè exponuntur; pag: 349. *Inornatæ pariter orationis* vitia depromit pag: 351. Quàm venu-

venuſtum & illuſtre eſt hîſce, cæterîsq́ aliîs multîs, quas brevitatis causâ omitto, eſſe tinctum doctrinis: quas tamen novi Logodædali Grammaticæq́ fabricatores, omittunt: dumq́ eloquentiam puram inducere conãtur, ipſam corrũpunt magis ubi adoleſcentes nullo verborum conſtruendorum, imbuunt diſcrimine, neq́ contra vitia ſermonis, quæ ſponte irrumpunt præmuniunt.

De Vocibus propriis imo de Voce Barbara & peregrina.

Equidem barbari homines Romanis dicuntur, qui ferrô fortes ſunt & armis. Hæc militaris virtus ſæpe apud Livium Hiſpanos, barbarorum oneravit nomine, qui ad duritiem potius Martis, quã ad ſvaves blandosq́ mores procreati videbantur. Tamen voces *barbaræ* illæ ſunt, ſi exordia rerum ſpectemus, quæ ex cæteris lingvis, formâ Latinâ conveſtitæ in Latinũ idioma irrumpũt

aut si altiùs rẽ ingrediamur, quæ de bello à barbaricis nationibus illato suam vendicant originem. Erat enim ea infelix orbis tempestas, quâ Latini ut ait Cromerus lib: hist: Pol: 1. c. 3. *Barbaricis, Gothorum, Vandalorum, Alanorum, Suevorum, Logobardorum, Saracenorum, Hunnorum atq; ad extremum ipsorum Slavorum, armîs implicati, divexati, & pene deleti, doctrinâ quoq; & eloquentiâ propemodum exciderunt* ad eumq; sermonis horrorem pervenerunt, qualem Theodorici Regis Gothorum infra ponenda epistola, exemplum exhibet. Parũ esset si diuturnum bellum hoc, barbaram reddidisset Latinam lingvam, nisi Author quoq; extitisset ipsius Italicæ. Luculentus hujus rei testis est Tarquinius Gallutius cum Encyclopedia natus antiquorum, Orator Romanus, qui publicis ab exedris orat: 10. assertum meum omni absolvit dubio. *Quis enim dubitet quin eam lingvam retineamus, quâ Italia omni in illam imminente ac grassante barba-*

barbarie, collapſo tandem imperiô, una cũ jugo ſervitutis accepit. Et quemadmodũ ſtrepitus bellorum, hanc ſvavem ſonô lingvam generaverat, ſic cæterarum, quæ cognatæ verborum tinnitu & ſignificatione ſunt, gloſſarum parens extitit: atq; ipſum Latinum idioma adeo fætidum corruptumq; fuerat, ut diu doctiſſimorum virorum curâ, à fæce cottidiani tunc ſermonis verbisq; barbaris depurgari debuerit. Dolendum tamen Jovita, quòd non pauci Authores, in noſtros quoq; majores, hujus rei cauſam coniciant, dum nos quoq; Polonos belli Romano imperio illati cauſam efficiunt. Etenim ubi ſupra Cromerus Latium divexatum à Slavis, Gothis, Vandalis comminiſcitur, Patriam noſtram ter nominare videtur: cum Crantzius res noſtras typo ſubminiſtrans titulum Patriæ *Vandalia* præfixit; viſtulaq; noſter olim *Vandalus* nomen geſſerit, in mappis antiquioribus Geographicis; quod nomen maximè noſtræ

Patriæ convenire, probat Juſtus Deci9, Plinius, Ptolomeus. Gottos olim nos demonſtrat, epitaphium Leonino carmine Boleslao I. Poſnaniæ in Cathedrali Eccleſia poſitum, ubi legitur.

Tu poſſediſti veluti Athleta Chriſti
Regnum Slavorũ, Gothorũ, ſeu Polonorũ.

Quod etiam refert Stanislaus Lubienſcius in vita Martialis Epiſcopi Plocenſis. At quemadmodum lingvas cæteris nationibus dedimus nos Slavi, ita majus beneficium Latiô extulimus; dum fidem, libertatis formam, & muſas Latinas. Hoc itaq; ad perenne gratiarum debitarum monumentum, fatetur *Oſſolinski* in illa quam ſupremus Regni noſtri legatus Urbano ſummo Pontifici, dixerat, oratione. *Parentavimus urbi majorum noſtrorum ferociâ læſæ, cum in ejus mores & inſtituta tranſivimus.* Et ibidem. *Cicurarunt Sarmaticam, ſi quæ fuit feritatem, religio & muſæ Latinæ. Has ubi è ſeptemtrione devolutæ gentes, Latiô moverunt credo equidem caſtra ſecutas.* Cujus rei

etiam

etiam in præſens, aliquod legimus veſtigium, ubi in Tribunalibus Regni, hucusq́ aliquæ, voces, barbaræ imperant, dum *ſipare* ſcopulos pro *ponere*, *granities* pro *limitibus*, *abbanitus* vel *banitus* pro *exul* uſurpant, nec ab hac antiquitate, quaſi in memoriam geſtorum Poloniæ volunt recedere.

Ubi ergo originem barbararum vocum ſatis eduxi, id omnino ſtatuendũ: ſi quæ vox Latinum induta habitum, ex Hiſpanica, Gallica, Italica, Polona cæterisq́ in orationem venit, hanc barbaram vocem nemo ambigat.

Vocem barbaram ſignat index Cnapii, litera B vel Bar.

Regulam de hac ſequentem ſtatuit Voſſius Archirhetor ſæculi 16. Voces provenientes ab aliis lingvis, ſi jam vetuſtiſſimæ ſunt ſeu Civitate donatæ, poſſunt adhiberi ab Oratore: quales ſunt *Camelus* ex Syriaca: *eſſedum* è Gallica (quamvis hæc nunc à Gallis plane ignoratur) dictione proveniens. Si verò

ſunt

ſunt recentiores, ſeu adhuc peregrinæ, quales ſunt *parlamentū* pro Curia: guerra pro bello excluduntur ab Oratore.

De Græca Voce.

Græcam vocem notat Cnapius in ſuo theſauro lingvæ Latinæ, nota Gr; Archirhetor ille Voſſius has regulas, profert.

1ma. Ut verba Græca, ſicut & alterius idiomatis, non ponantur in oratione. Hinc Tiberius Cæſar Græci ſermonis peritiſſimus, interdixit ſibi, ne aliquam vocem græcam proferret in Latina Oratione. Unde veniam petiit dicendi, dum proferret hanc vocem: *Monopolium*: ſtatuitq; ut ſi quid Romanô ſermone ex primi non poſſet, periphraſi exprimeretur.

2da. Licitum uti verbô Græcô in ſignificandis animalibus, earumq; partibus, plantis, gemmis, inſtrumentis. Sic enim ait Cicero lib: 3. de finibus. *Puto concedi nobis oportere ut Græcô Verbô*

utamur,

utamur, si quando minùs occurret Latinum, ne hoc ephippiis, acratophoris, potiùs, quàm proegmenis, aut apoproegmenis concedatur: quanquam hæc proposita rectè & rejecta dicere licebit.

3. Si græca sint latinîs significantiora, ponantur in oratione: ut Rhetorica quàm ars benedicendi. *Vossius.*

De voce prisca & absoleta.

De hac voce ita Cicero: lib: 3. de orat: *Tria igitur sunt quæ Orator adfert ad illustrandam atq; exornandam orationem, aut inusitatum verbum, aut novatum, aut translatum.* Et ibidem *Ita fit ut omnis singulorum verborum dignitas, atq; laus, tribus existat ex rebus, si aut vetustum verbum sit, quod tamen consvetudo ferre possit, aut factum vel conjunctione, vel novitate, in in quô item est auribus consvetudiniq; parcendum, aut translatum quod quasi stellis notat.* Quod Cicero ita restringit, Oratore ad Brutum. *Ternæ autem sunt*

partes

partes verborum; translatum, novum, priscum; sed liberiores in his pòétæ. Nam & transferunt verba tùm audaciùs, & priscis libentiùs, utuntur & liberiùs novis. Itaq; ut ait Cicero lib: 3. de Orator: *Non utendum erit ijs verbis, quibus jam consvetudo non utitur, nisi quando ornandi causa parcé.*

De verbis Criticis.

Sunt innumeræ voces, quas varij Oratorum censores cerâ notarunt, eas Cnapius in Thesauro lingvæ Polono Latinæ *cursivo* ut vocant typo exprimit atq; de his ita definit, ad Lectorem præfatione. *Habes varias lectiones vocum ambiguarum, ex Criticis allatas, quibus si è re tua est, felix utere & salve.*

De Voce Pòética.

De hac ita Cicero statuit lib: 3. de Oratore. *Sed tamen raró, habet etiam pòéticum verbum dignitatem neq; enim illud fugerim dicere, effari, soboles, nuncupari.* Et ratio ex eodem libro. *Quan-*

quam

quam sermonis elegantia expolitur scientiâ literarum, augetur tamen legendis oratoribus & Poëtis.

De Voce Philosophica.

De hac nullibi arbitrium sententiamq; Authorum reperio. Posse tamen adhiberi ab Oratore perspicuum est, tum ex eo quiâ Philosophia olim à facundia Oratorum, nō fuerat disjuncta, tum quia Oratori probo ac germano perspicienda est, integra Philosophia & orationi immittenda, quod abundè probavimus, ubi de Encyclopædia diximus; maximè si sit vox classica & maximo in usu Philosophorum posita, nō illa, quàm aliquando evadendi discriminis causâ, metus elicit. Si verò Orator metuit ne planè ignota suo auditori sit vox illa, definitionem addat tanquam lucem, quæ vocis novitatem explanet ut Theologia *speculativa* seu quæ magis pugnax est.

De verbo turpi.

De

De verbo turpi, hanc instituit rationem Arist: lib: 3. Rhet: Cap: 12. tex: 112. *Quod si quid acciderit obscenum aut parum decorum, id si erit in definitione, nomen usurpabis, si autem in nomine definitionem:* quod *ita illustrat* Majoragius *non igitur culum nominabit Orator, sed partem ad naturæ necessitatem datam: pro cacare: dicat ipsi necessitati corporis parere, atq; ita pro verbo definitionem ponet.* Item non ponat definitionem generationis, quæ cũ partium obscænitate conjuncta est, sed ipsam vocem *generatio*: in qua nihil inverecundi patet. Nec valent exempla Epigrammatum aut Satyrarum ad contraria huic legi, audenda. *Quod enim Pòëtis Epigrammatum & Satyrarum* [ait Majoragius] *conceditur, non idem heroicis Pòëtis, aut Oratoribus convenire putandum est. Licet igitur Catullus, Martialis, Juvenalis verba obscæna usurpant, non tamen Virgilius aut Cicero.* Hic addendum puto ex textu 125. libro 3. Rhet: Aristot: *Quod si impia & turpia tractanda sunt id*

cum

cum indignatione, cauteq; & quasi timide faciendum est; hunc enim animi horrorem voce demonstrare, ea exigunt, quæ contra religionem, & honestatem, plena impietatis ac turpitudinis sunt.

De Verbis novis.

Tiberius Cæsar tulit legem, ne novis rebus nova vox imponatur: sed potius definitione circumscribatur, de hoc Gallut. Orat: 10. ait *Hic dum in senatus decreto hæc vox emblema audiretur commutandam ac requirendam latinam existimavit.* Cicero in contrario tamen sensu fuerat. Nam non modò sensit novis rebus, nomina nova posse imponi, verùm & antiquiorem adducit authoritatem, ut Zenonis; libro 2. quæstio: Academ:, qui signis quibusdam manus, *nomen quod ante non fuerat Katalepsim imposuit.* Jam verò lib: 1. de natura Deorum ita habet: *anticipationem Deorum sive prænotionem. Sunt enim rebus novis, nova ponenda nomina, ut Epicurus*

curus ipse, prolepsin appellavit, quàm antea nemo eo verbo nominaret. Vide supra de frigida oratione Sectio 71. n. 4. 5. 6. Adde quod etiam Lipsius epistola 9. ad Petrum Oranum hanc vocem illatebravit posuerit, in qua quia audacior sibi visus, addidit: amor *ut sic dicam illatebravit:* ad has voces novas videtur referri nomen officii in Polonia Capitaneus dicti.

De alijs vocibus.

Complectitur hic illas regulas, quas Palatium Reginæ eloquentiæ adfert titulo *Armamentarium eloqu:*

Verbalia pro absolutis sonantia sunt, sic dominatrix animi cupiditas, consonantiùs, est quàm si domina, vitæ Philosophia dux, virtutis indagatrix, expultrixq́, vitiorum, & artium procreatrix.

Verba composita grandiora habentur. Parentum pœnas à consceleratissimis, quàm sceleratissimis; contrucidare excruciare, consonantiora sunt quàm trucidare.

Quæ plures habent syllabas, quam quæ pauci-

pauciores, tempestas quàm tempus. Ut qua tempestate Pœnus in Italiam venit; Illustris quàm clarus: immensus, immanis, quàm magnus.

Quæ syllabas habent longiores, & si pares numero grandiora videntur; princeps quàm primus, parens quàm pater.

Verùm hæc omnia non pro libidine sumenda, sed aut numeri Oratorij causâ, aut affectûs excitandi.

Lustranda hic Sectio 66, & 71. de vitio frigidæ orationis.

Concluditur, quoniam Vossius ille Archirhetor, inter cæteras etiam hanc reliquit regulam, ut purè & apertè dicatur incorruptè & Romanâ lingvâ, ne de Oratoribus dicatur, quòd Cicero de Pöétis ait, eos alia quadam lingvâ loqui; iis verbis, de quibus hactenus, aut parcè nimiùm utatur Orator, aut tunc cum necessitate compellitur. Demum si timebit, ne obscura sit oratio, vocis ignotæ impositione, verbo addat definitionem rei. Cum enim

pro-

profero *alexipharmacum* hæret dubius auditor, quid rei Orator dicat: cum enucleo *quod ab Andromacho ex centum prope herbarum succis confectum, aut tollit ægritudinis molestias aut levat,* jam in luce est. Verbo concludam Oratori regula 4. Colloqu: de elocutione proposita præ oculis habenda est.



COLLOQUIUM QUARTUM.

Proponuntur exēpla solidæ eloquētiæ.

Sectio 74.

Primum exemplum Orationis solidæ

ORATIO 1ma.

GREGORII OSSOLINII, Magni Regni Poloniæ Cancellarii habita Romæ, ad Urbanum VIII. Pontificem, die 6. Decembr: An: D. 1633. cum Nomine Regis VLADISLAI IV. eidem Pontifici Catholicam obedientiam præstaret.

VEnit iterum Romam VLADISLAUS, Pater beatissime, & qui nuper barbaricis ornatus laureîs,

laureîs ad tuos pedes venerabundus jacuit, is hodierna die, triplici diademate cinctus, ante hanc Apostolicam sedem tuam, per me Oratorem suum, supplex procumbit. VLADISLAUS inquam, Poloniæ & Sveciæ Rex, ac Magnus Moschorum Dux, qui antequam regnaret, Regum, & Regnorum Tyrannos debellavit, qui Romam triumphator, sine triumpho ingressus, pia vota, & Pontificiorum pedum oscula, triumphalibûs prætulit, qui cùm videri, nosciq; maximè nollet, urbis & orbis oculos in se convertit, qui nova Tiberim, felicitate beavit; cùm arctiùs fluere solitum, invictâ dexterâ, ultra Tyram ac Boristhenem promovit, qui deniq; desertori populo, Græcum Constantinianæ donationis diploma, è superba gaza eripuit, tanquam pro Romano Pontifice pugnasset, cui Romam, hostium etiam spoliîs asseruit. De hoc tali ac tanto Principe, tibi Pater Beatissime, non in cunis, sed in ipso gloriæ, ac rerum gestarum fastigio, non famâ, sed aspectu, ac familiaritate noto, quid in hoc amplissimo orbis theatro afferam, haud reperio. Jam enim olim sapientissimô Tuô judiciô, omnes ejus penetrasti, ac percensuisti virtutes, easq; uti probè cognitas, quæ liberæ gentis sceptra moderentur, dignas judicâsti, cùm monita

pridem Vladislaum unum eſſe, qui Polonis imperare queat, ſolemni commendatione aſſeruiſti. Huc ergò potiùs, mea deflectat oratio, ut quos, qualesvè populos, Tibi Sanctæq; ſedi tuæ ſupplices, Rex noſter, ſecum offerat, declarem. Quod dum exequor Pater Beatiſſime, Paterno affectu, favebis Filii Pontificatûs tui natu minimi, glorioſis conatibus, ſolemne enim Patrum eſt, eorum geſtìs potiſſimè recreari, quos recentiori, ſivè lucis, ſivè gloriæ partu, orbi ediderint. Quidcunq; ergo gentium ſeptemtrio tegit, quàm latè Carpatiis à montibus, ad Caſpium mare, â glaciali Oceano, ad Pontum Euxinum, patet Europæ, totum id, genu flectente Vladislao, ante thronum tuùm proſternitur Pater Beatiſſime. Omnes enim illæ gentes, aut liberìs ſuffragiis, eum ſibi Regem dixerunt, aut hæreditario jure, licet refragæ ad ejus ſpectant Majeſtatem, aut deniq; armìs ſubactæ Dominum recognoſcunt, Sed primum meritò obtinet locum Polonia, quæ uti Principibus ſuis, liberè paret, ita Religionem, & ſacra nulla vi, nullo metu adacta, colit. Jlla illa Sarmatia, Romanorum armis impervia, Romanæ Religioni mancipata, illa, tot olim ſuperſtitionum altrix, nunc unius DEI ſerva, illa libertatis cuſtos acerrima, nullius jugum

experta, Romanis Pontificibus, eorumq; Sedi Apostolicæ, obsequentissima, Polonia, in quam, quæ sola monstra non parit, nulla inde hæresis, nullũ schisma, & si qui vicinarum peste afflati, acerrimô legum suppliciô, & perpetuæ infamiæ notâ, à reliquo nobilitatis corpore rescinduntur. Si quis legem Vladislao Jagiellone Rege latam, totius Nobilitatis Patrio more, consensu formatam legerit, fatebitur nullius Concilii anathema, acrius hæresim perstrinxisse. Et quamvis iniquitati temporum, amoriq; consangvineo, aliquid indulsisse videamur, non tamen legem abrogari, unquam passi sumus, nec patiemur testaturi, posteritati nos legum, Patriæq; salutem unius Religionis integritate, firmare. Hoc ipso lugubri nuper Reipublicæ statu cùm Sigismundum Regem vivam pietatis, Religionisq; imaginem, cælô receptã, terrîs ereptam, planximus. Vidisses Pater Beatissime illis ipsis centurialis Comitiis, senatum populumq; Polonum, magìs pro Religione adversus Concives suos, dirâ hæresi corruptos certantem, quàm de communi salute, aut de futuri Principis electione, sollicitum, Æquavit fervor procerum, curam Antistitum, eorumq; & tui Apostolici Nuntii, solemnes excivit gratiarũ actiones. Innatum scilicet, genti Polonæ,

avitæ Religionis ſtudium. Hinc illa, erga Sacrorum Præſides obſervantia, quæ eis, prima in ſenatu ſubſellia detulit, ac præcipuas Reipublicæ partes, curare juſſit. Tacebo prodigam, ut ita dicam, in templorum ædificia, ac ornamenta, liberalitatem, omittam cultum numinis, ſacrorum ferventiſſimum, hæc enim omnia ita ſe habere, orbis conſenſus aſſerit. Animorum certè gentis, ejus magnitudinem, vel inde colligere licet, quod à tot ſæculis, adverſus feros, & immanes, nominis Chriſtiani hoſtes, excubent, nec ſtationem deſerant Ottomanorum ſigna, quæ tot acies, urbes validas, expugnârunt, tot montium clauſtra penetrarunt, fluminumq; impetus ſuperârunt, tot Chriſtianorum copias fuderunt, nuda Polonorum pectora, ſtiterunt, & ne patentes, ac pervios ingrediantur campos, hucusq; prohibuerunt, Scythicam pernicitatem, ne univerſam quaqua verſus pervagetur Europam, unica Reipublicæ noſtræ, moratur Provincia. Moſchos ſolo nomine Chriſtianos, re & moribûs quibûsvis barbaris execrabiliores, toties vicimus, fudimus, & demum nobiliſſimam ejus partem, in Provinciam redegimus. Hæc omnia, ſumma animi magnitudine, ac prorſus Romanâ ſteterunt. Parentavimus ſiquidem antiquæ Urbi, majorū

no-

nostrorum ferocia læsæ, cum in ejus mores & instituta transivimus. Hinc libertatis studium, hinc æqui juris, ac legum amor, hinc masculæ frugalitatis exempla, nil in moribus nil in habitu corporis molle, vel effæminatum, nil acu pictum. Juventus prætextam non in Citharædorum gymnasiis, sed inter castra deponit. Equitibus, rura Paterna colere, haud pudendū, nè urbanis enervati deliciis, bello fiant ineptiores. Humiles domos plerumq; habitant, sed excelsos animos fovent, non propugnaculorum, non pontis sublicii, sed legum & innocentiæ præsidiô tuti. Neq; verò hanc magnanimitatem, ferociam, quispiam dixerit. Cicurârunt Sarmaticam (si quæ fuit) feritatem, Religio, & Musæ Latinæ. Has ubi è Septemtrione, devolutæ gentes, Latiô moverunt, credo equidem, Castra secutas, eiq; vitæ assvetas, Heliconi suo propè ultimum vale dixisse. Gentem profectò nostram, adeò sibi mancipârunt, ut sine earum præsidîo, & ornamento, militarem gloriam minùs gloriosam æstiment. Et meritò, earum enim beneficio, libera nobilium capita, de se ipsis decernunt, magnô Nobilitatis ornamentô. Neq; à Scholarum Cathedris, interpretes petimus, latinô freti eloquiô, quod unà cum moribus, & institutis in partem

gloriæ noſtræ, lubentes aſsumpſimus. Talis itaq; & tanta Polonia, ad tuos pedes prima procumbit, Pater Beatiſſime, illud collum, nullius unquam jugum ferre ſolitum, illas manus liberas, illum animum excelſum, & ad imperandum natum Regis ſui exemplô, majorum inſtitutô, Tibi ſubmittit. Tuîs auſpiciîs, ſe Vladislaum Regem dixiſſe, ac proinde eum tibi deberi profitetur. Tu enim Geniales Divos, Primum ac Felicianum, Româ diſceſſuro, in ſacris cineribus tribuiſti, non ſine omine Pontificio, cum primum Regem hunc noſtrum fore, qui ſine æmulo, feliciſſimus, qui conjunctiſſimis, tam populoſæ gentis amicis & ſuffragiis Rex diceretur. Tuis ergo auſpiciis Pontificum maximè, habet Vladislaum Polonia, Vladislaus Poloniam. Tu utrumq; favente DEO habebis, Vladislai invictâ dexterâ, tandē aliquando tibi Sanctæq; Sedi Tuæ, manſvefactos ſcandicos, rebelles Leones. Habebis & deſertores communis Paſtoris ad tuum ovile, propediem reduces. Exivit etenim Pater Sancte, Filius hic tuus, non ætate, aut meritis, nō Majeſtate, ſed capeſſitæ Regiæ dignitatis, tempore minimus ad venationem, ut te ſatiet, famemq; tuam impleat, avidam gloriæ ſummi DEI, inde longævi, auſpicaturus primordia,

Impe-

Imperii, unde Cæli & Ecclesiæ ruinas, sperat reparandas. *Erige hanc tuam dexteram, Pontifex optime, maxime, quâ nescio, quo turbine motum, ac penè ruentem retines Orbem,* summo hujus sæculi bono, dudum destinatus, & Sancta benedictione prosequere, tam chari pignoris pios conatus. Excitabuntur hôc præclarô exemplo reliqui Christianorum Principes, & postpositis perniciosis eorum nomini & gloriæ odiis, illuc arma convertent, quo nefarii Imperiorum prædonis libido, jam tandem vindicanda vocat. Vladislaus certè Rex uti nunc se Regnaq; & arma sua sanctitati tuæ tradit, obedientiam præstat, neq; se ab hujus Sanctæ Sedis Authoritate, & observantia, unquã discessurum profitetur. Ita Te Duce, Te auspice, paratus semper erit, Christianorum Aquilas notis sibi itineribus non sequi, sed præire.

Faustinus. Scio quantꝰ fuerat in sensu de arte Oratoria Andreas Maximilianꝰ de Pleszowice FREDRO, Palatinꝰ Podoliæ. Testantur hujus Oratoris excellentiam, sermones Patriâ lingvâ editi, collecti operâ Francisci Glinka, Equitis Poloni: testatur pulcherrima histo-

storia Vładislai Regis Poloniæ, acta evigilans, venustissimô stylô, ac magnâ Viri prudentiâ armata: testantur præcepta Oratoria quibus titulus. *Vir Consilii, monitis Ethicorum nec non prudentiæ instructus*: eôdem illustrissimô Authore, in publicum producta. Hic tamen tantus, & talis Vir, non modò palatina dignitate, verùm & eloquentiâ illustrissimus Cap: 8. pag: 439. Orationem GREGORII OSSOLINII, tanquam absolutissimam idæam, svadæ, in legationibus ad exteros expeditæ, proponit, quam nescio quis eloquentiæ zelus typo castigat. Neq; autem dici potest, quod amicitiæ causâ, quæ nevos tegit, id effecerit, quod ejus facundiã, suis scriptis FREDRO immiserat. Opus enim illud Rhetoricum posthumũ est, tunc lucem aspexerat, typis editum, cum mors, omnia amicitiæ commoda resciderat. Neq; etiam tanto rerum præceptori, ignorantia styli, ratioq; decori incognita potest objicii, qui, ut jã audi-

audisti eximia tàm polonica quàm latina reliquit eloquentiæ suæ monumenta, qui sequens de legationibus ad exteros sapientissimum imposuit præceptũ. Legamus illud, cap: 8. pag: 426. expressum in Viro Consilii.

DE LEGATIONIBUS ad EXTEROS.

Hæc Oratio multô gravitatis, & eruditionis, nec tamen ostentatæ, opus habet apparatu, non solum pro obtinendo quod opus, sed pro paranda genti fama, à qua mittun- Legati &c:

Vide quos idem dicendi præceptor, præscribit hiscè Legatis legendos Orarores, ut scilicet legantur *plures potiùs, quàm unus: & veriùs animosi, nisi desideraverim aliquantùm impetu, vel potiùs actione vigentes, non extra tamen prudentiæ regulam agentes, quàm molles, & nimium Civiles, quæ nomina sæpiùs inferioris sunt:* id est habere mollem, & nimiùm Civilem Orationem, inferiorum est proprium, in quorũ numero nõ est legatus, à republica ad exteros missus.

Pagi-

Pagina autem 428. idem illuſtriſſimus FREDRO ad belli, vel pacis circumſtantias ſequentem præſcribit ſtyium: cui potiùs credendum, quàm aliis inexpertis etiam mediô forô, clamilantibus Rhetoricis.

Si igitur inducendo bello, vel finium commerciorumvè, ſtabiliendæ ſecuritati, mittatur Legatus, magìs ad audaciam inclinante utitur ſtylô, quàm ferocî aut ſuperbô, extraq; ſenſus exprobrantes, inſolentes, & perinania minaces: verùm juſtitiam cauſæ, juraq; gentium exagerabit, æquiori parti affuturum Deum & judicem armorum fortunam, &c.

Si pacis negotium tractetur, etiam hic ſermonis vigor adtemperatâ modeſtiâ proderit.

In omni verò legatione cavebitur oſtentatio dicti, ampullata verba, ſuperciliô minax aſpectus, aut ſecus actionis levitas, verùm ad prudentiam revocabitur totum.

Conformē itaq; hiſcé præceptis, tanquā perfectiſſimā legationis idæam OSSOLINII Orationē, expoſuit Palatinꝰ.

Jovita Hæc eſt ſatis præſtans tuo

judicio

judicio Legati Oratio, cujus tamen vitia, non ex meo, ſed alieno ſenſu aperiam, ut in innocentiam ſvadæ deveniā: tibiq; Fauſtine, quantùm potero obluctabor.

Etenim eloquentia Vladislai IV. temporib9, nonnihil jam defloreſcere cæpit: documento ſit, jam illa tumida, & ampullata, quæ manib9 omnium teritur Vladislai IV. nomine ad Urbanum VIII. Legati Oratio à Te lecta. *Venit iterum &c. qui nuper barbaricis ornatus laureis, ad tuos pedes venerabundus jacuit. & qui nova Tyberim felicitate beavit, cùm arctiùs fluere ſolitum ultra Tyram, ac Boryſthenem promovit &c. Erige hanc tuam dexteram Pontifex optime, maxime, quâ neſcio, quo turbine motum, ac penè ruentem orbem retines &c.* quæ omnia uti ſunt tumore pleniſſima, ita poſtremum illud *erige*, &c. omnis leges exceſſit hyperbolæ: Deoq; potiùs, quàm homini competit.

Fauſtinus. Me miſerum Jovita, noſtrasq; orationes: ſi tam venuſta eloquentiæ monumenta à te caſtigantur. Quid agimus o amice! relinquamus Alexandri cornu, dum tibi rudis placet tibia.

tibia. Profunda hæc cicatrix à te Jovita impressa est aut veriùs macula apposita, huic styli elegantiæ: nos illã tollamus. Equidem ista mihi audienti, quæ tu aliquô entheô raptus prompsisti, occurrit, quod inexperto contigit medico, qui postquàm peregrinas apothecas peragraverat, multamq; medicinæ scientiam jactitaret; homini sano, artis obtentæ vaticiniô morbum imposuit: cùm ille se omni corporis vitiô, immunem, ac intactum reclamaret. Tu pariter Oratori Ossolinio adscribis, quendam orationis tumorem, cùm omnî hydropisî, bonus, ac non exangvis orationis Ossolinianæ habitus, planè careat. Illustrissimus FREDRO, Palatinus Podoliæ, exactior sanè Orationum Civilium explorator, quàm tu amice, cùm ampullata verba, ut ab exordio diximus f. 330. à Legatorũ svada expungit, nunquam *Gregorii Ossolinii* Orationem in exemplum exhibuisset, si tumorẽ Orationis inspexisset. Ergo

opti-

optimum hujus ſvadæ, non ſiccum, nō exangvem, non hydropicum habitum approbavit, ſed vigentem, ſed plenum animi. Quod ergo vigoris plenitudo orationis hujus eſt, Jlluſtriſſimo Palatino, hoc tibi tumor? Cui itaq; fidem deferemus? rerum experientiîs probato, an inexperto? Conſuli Patriæ clariſſimo, an tibi homini ſecreto? publico Oratori, an Umbratico? Crede nō permittam tuâ veniâ Jovita, Oſsolinianæ Orationis ſtructuram, tuîs ſubjectîs flammîs conflagrare, ac primùm, quomodo tumida ac ampullata Oratio, ſi unam non niſi hanc: *qua dextera penè ruentem orbem retines* continet hyperbolam? quæ enim alia, præter iſtā major, quàm res poſtulat, translatio? an iſta? *qui nuper barbaricîs ornatus laureîs, venerabundus ad tuos pedes jacuit?* ſi eſt hyperbola? quibûs in verbis? an iſta? *qui novâ Tyberim felicitate donavit* nonné veriſſimum eſt, quòd armis Vladislai, Chiſtianorum gloria, ultra Tyram, & Bory-

Borysthenem promota. Nonné hic, ubi per Tyberim, tanquam per adjunctum Romani populi, ipsi Catholici intelliguntur, erit metonimia, non verò hyperbola? Concedamus esse metalepsim: sit iste rarissimus tropus, attamen si rarus sit, nihil vitii, Orationi afflat? juxta Sectio 68. Adde hunc secundum sensum Oratorum lumen esse, sine quo, ut domus sine fenestra [quēadmodum diximus Sectio 61.] obscurus est Oratoris labor? Ergo augusta oratio est, & ornata, non tumida, non ampullata.

Sed ampliùs inspiciamus hyperbolam, à te rejectam. Erige hanc: *quæ penè ruentem orbem sustines.* Diximus Coll: 2. ab exordio, oportere Orationē esse patheticam, seu imbutam plenîs affectibûs, diximus de tropis Sectio 66. ibi locum esse, ex lege Aristotelis hyperbolæ, ubi in se, vel in Auditore urget motum Orator, hic autem magnus summi Pontificis amor, hanc grandem

expres-

expressit metaphoram. Vide iterum modestiam Oratoris, quàm tunc maximè ars Oratoria vult significari, cùm aliquid audentiùs transfertur, tuncq; locum assignat illis cautelis; *ut ita dicã, ausim dicere, penè, si licet dicere,* quam minutissimam licet, tamen non præteriit Ossolinius Rhetoricæ regulam, cum dixit, *penè ruentem orbem sustines*: quæ clausula, ut omnem tropum ab audacia & impudentia, eximit, sic dictum verbum à statu dejicit hyperbole.

Exemplîs quoq; feramus suffragia orationis innocentiæ. Certè non tumida & ampullata oratio Ciceronis evasit, per sequentes hyperbolas, & sensûs contra Rullum. *Ager Campanus, Orbis terræ pulcherrimus* & illud contra eundem: *Is orbem terrarum, novîs constringit legibûs:* in Lælio. *Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt.* Et contra Rullum: *pecunia tanta, quanta sit in terris.* Et Attic: *Id amisisti, cui simile nihil in terris fuit.* Pro Marcello

Nec

Nec verò disjunctissimas terras, citiùs, cujusquam passibûs, potuisse peragrari, quàm tuîs non dicam cursibûs sed victoriîs illustrata sunt. in Pisonem *Sic iste tanto exercitu, tantâ provinciâ, triennio post Macedonicus Imperator, in Urbem se intulit, ut nullius negotiatoris obscurissimi reditus, unquam fuerit desertior;* Est nè in Ossolinii Oratione, tantus verborum augentium excessus, quantus in laude Pompeji à Cicerone proposita? *Quis autem Pompejo scientior, aut fuit, aut esse debuit? qui sæpiùs cum hoste conflixit, quàm quisq; cum inimico concertavit. Plura bella gessit, quàm cæteri legerunt: Plures Provincias confecit, quàm alii concupiverunt, quæ omnia nullam rem esse declarant, in usu militari positam, quæ hujus Viri scientiam, fugere possit. Jam verò virtuti Pompeji, quæ potest par Oratio inveniri. Quid est, quod quisquam, aut dignum illô, aut vobis novũ, aut cuiquam inauditum possit afferre? quod igitur nomen, in orbe terrarum, clarius unquàm fuit? cujus res gestæ pares?*

Quam

Quam verò iterum verbis exultat, in ejusdem laudibus, postquam enim recēsuit, quod successum belli, sibi omnes communicent ita disserit. *Nihil hic centurio, nihil præfectus militum, nihil ipsa rerum Domina fortuna, sibi vendicat, totum quantumcunq; est, Pompeji est.*

Jovita Exultat hic verbis Cicero, quia in laudibus ornatus verborū splendidior, etiam hyperbolas admittit. Ossolinii autem oratio, alterius provinciæ est, ideo verbi illius, per hyperbolam exultatio, mihi vitiosa erit.

Faustinus Et si hæc ratio Epidictico genere nō cōtineretur, tamen, nescisnè omni dicendi generi, tā scilicet judiciali, quàm deliberativo omnium Oratorū ex sensu, demonstrativum genus familiare esse? Omnes illorum siccitatem accusant, quare ad laudes svadam divertere omnes svadent. Demum nonnè hic Ossolinii sensus cum elogio Pontificis conjunctus est? Quare orationē hanc legati Poloni, ceu imaginem, arte, & coloribus cōmendatissimā, fuligine,

tuæ censuræ commaculatam, detersimus, nunc ad alteram procedamus.

Sectio 75.

Secundum exemplum.

Secunda Oratio GREGORII OSSOLINII Supremi Regni Poloniæ Cancellarii habita, ad Electores S. R. Imp:

ORATIO.

CRedidisset Orbis, Magni Principes, Legati Jllustrissimi, VLADISLAUM Poloniæ & Sveciæ Regem potentissimum, pace domi, forisq; partâ auctîs prolatisq, Regni terminis, Amurate, sola armorum ostentatione ad pacem petendam compulsô, *& metas Otomanici Imperii quas nec solis cursu olim declarari volebat, Vladislai placito terminante*, altum quiescere, & tot laborum, sudorum, vigiliarum, victoriarumq; trophæis incubare. Sed longe aliter accidit generis humani bono; cælitùs datus animus propriis commodis nequaquam acquiescit, sed suæ prosperitatis, nisi participem viderit, haud putat laborum fructus maturuisse Videt Christianorum nomen, & gloriam consangvineis fædari armis: prospicit ex illa;

cui

cui Polonorum Regum thronus superimpositus, altissima Orbis Christiani specula imminentem ab oriente procellam, discordiis Regum, principumq; Christianorum, excitatam, intuetur miserandum in modum, discerpti florentissimi Hungariæ Regni reliquias, *proiuendo gutturi, insatiabilis Otomanicæ belluæ destinatas.* Hæc omnia dum penitus considerat, amicissimi Regis, vicinæq; gentis discrimine excitatur, & quid in rem futurum sit, sublimi Regiæ mentis cogitatione perpendit, opportunè nuntiatur, sacri Romani Imperii Electores Principes, hac in urbe conventum, more majorum, celebraturos, consulturosq; orbi, & lati periculi metu consternatam rempublicã, erecturos: ingenti perfusus lætitiâ, me quantocius advolare voluit, & suo nomine serenitatum, Celsitudinumq; vestrarum conatibus gratulari, in sublevandis Imperii, reliquorumq; Regnorum rebus, consilium communicare, operam offere, *affectum* deniq; & solicitudinem tanto Principe dignã, declarare. Ea nimirum est Sacræ Regiæ Majestatis ditionum cum Imperio Romano, eiq; annexis provinciis conjunctio, ea negotiorum, & commerciorum communicatio, ea demum periculosissima vicinitatis cum hoste omnium potentissimo ratio, ut utramq; Sceptrorum

Cæsareæ Majestatis fortunam, ad se jure arbitretur, pertinere. Quamobrem de restituenda Germaniæ, tot tantisq; bellorum procellis attritæ, pace & tranquillitate, ab eo die, quo Polonæ Genti liberis suffragiis Rex appellatus, semper se sollicitũ declaravit, neq; ullam prætermisit ejus revocandæ occasionem. Sed generosus ille Germaniæ gentis spiritus, quamvis cum dispendio rerum fortunarumq; suarum, noluit hactenus, dum externi hostes in ipsis Germaniæ visceribus grassabantur, pacis mentionem admittere, ne se victum, & ad eam petendam inter Cæsorum *Concivium* busta compulsum fateretur. Nunc verò cùm nonnullorum vires, ad contemnendas redegerit reliquias, cæteros ultra Germaniæ limites facessere cöëgerit, sperat Regia Majestas, tantò promptiorem ad pacem amplectendam fore, quantò gloriosùs est, prosperîs rebûs, non magìs insolescere, quàm adversis frangi. Repetit ergo toties declaratum, pacis Imperio stabiliendæ studium, suamq; operam, & conatus se interpositurum luculentissimè pollicetur. Sperat porrò Serenitates, Celsitudinesq; vestras, tã præsentes, quàm perillustrissimos hos legatos intervenientes, non modò huc Cæsareæ Majestatis pientissimum animum precibûs suis inclina-

clinanturas, quò eum communis boni studiô, ultro propendere, constat, sed & propriis conatibus, in hoc tam expetendo negotio coòperaturas. Efflagitant hoc afflictæ *plebeculæ*, Cælum petentes lachrymæ, attritæ nobilitatis vires, Provinciarum solitudo, agrorum vastitas, urbium oppidorumq; ruinæ, unô verbô, ipsa, quàm in Germania vix reperias, Germania, *deposcit jure suo* periculum, ab immanissimo nominis Christiani hoste, imminens, cujus arma, quamcunq; Europæ partem petierint, stolidus ille foret, & impius, qui communi non commoveretur discrimine. Exigit deniq; pietas, ut tandem à fundendo Christiano sangvine, quem tot, proh dolor! hauserunt, & nunc hauriunt Provinciæ desistatur, & si porro fundendus est, contra illius hostes pugnando fundatur, qui suum nostræ fudit saluti. Sed dum Sacra Regia Majestas, Dominus clementissimus, rationes tam stabiliendæ in Imperio Romano pacis, quàm publicæ gentium securitatis, ponderat, agnoscit, judicatq; neutrum firmum fore, nisi electô ac declaratô in hoc serenitatum celsitudinumq; vestrarum conventu Romanorũ Rege, & vergentis in senectam Sacræ Cæsareæ Majestatis Imperii consorte. Neq; verò, hâc tam sublimi dignitate, in quemvis collata con-

ſultum Reipublicæ Chriſtianæ arbitratur, ſed unum eſſe ſereniſſimum, ac potentiſſimum Hungariæ, Bohemiæq; Regem, cujus capiti impoſitum Romanorum Regni diadema, publicam poſſit ſalutem firmare. Quis enim non concedat, ſapientiſſime majores ſerenitatum celſitudinumq; veſtrarum egiſſe, dum Romani Imperii habenas, jam quintum iisdem crediderunt moderandas qui oppreſſum Turcica Tyrannide, Pannonum Regnum gubernarunt? nempe exhauſtas, & deficientes illius Regni vires, quibûs tamen velut propugnaculô Imperium Romanum protegitur, non divellendas eſſe à Germaniæ vinculo, judicarunt, ne ſeperatæ hoſtili objicerentut potentiæ, extinctæ verò Germanicis Provinciis eas adferrent calamitates, quas à tot annis, deploranda ſuſtinet Hungaria. Quantò magis idem conſiderandum hoc tempore, cùm Turcarum Tyrannus ab immenſa Divinæ Majeſtatis bonitate, fervente Chriſtianorum bello, *alligatis [uti pueri ludentes ſolent] oculis* per varios orientis hucusq; circumductus angulos, occidendem tantum reſpicit, forſitan *eâdem manu* ob ſacra Chriſtianorum manibus polluta, *reflectente*, *&* *unionem* noſtram communis hoſtis metu procurante. Hunc verò à Cervicibus, tot Regnorum repellere, & incendi-

cendium in aliena potiùs domo extingvere, quàm in propria opperiri, erit ſummæ gloriæ & celebratæ hujus Auguſti Collegii prudentiæ, conducet absq; dubiô, & ad præſens pacis reſtaurandæ propoſitum, ſi ardentibûs undiq; flammis ſubrahantur alimenta, *ambitionis ſcintillis obnoxia.* Hiſcè de cauſis Sacra Regia Majeſtas, Dominus meus clementiſſimus, Sereniſſimo Hungariæ Bohemiæq; Regi, fratri ſuo amantiſſimo, Romanorum Regis Coronam votis, ſuffragiisq; Serenitatum, celſitudinumq; veſtrarum deferri ſummopere deſiderat, enixè poſtulat, neq; de Serenitatum Celſitudinumq; veſtrarum *affectu* non ſolùm erga Sereniſſimum prædictum Regem, ſed & univerſalem Chriſtianarum gentium ſecuritatem dubitat. Accedunt huic Regiæ petitionis ſuffragiô innumera auguſtiſſimæ Auſtriacorum domus merita plurima, in familias ſubditorum, Principum, collata beneficia, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, pro integritate & juribus Imperii Romani exantlati labores, & vel hoſtium vocibus prædicatâ paterna in omnes, divinâq; duntaxat minor clementiâ. Succedunt propriæ Sereniſſimi Hungariæ, & Bohemiæ Regis virtutes, quas priusnè florentes an maturas orbis viderit, dubito; ita in ipſo flore fructus præbuerunt copioſiſſimos.

Hujus

Hujus ipsius urbis, murorum, ac propugnaculorum, hiantes cicatrices, quid aliud spirant, quàm invictam Victoris mentem, uni clementiæ subjectam? Nordlinganæ verò memoria victoriæ, tum demum deficiet, cùm Danubius Alpes repetet, & Euxini aquas, in proprios deferet fontes. Explicare *veterani Ducis* quem sibi circumdederat, Urbiũ Germanicarum nodum, & paucorum mensium spatiô, totum Sveticarum victoriarum iter relegere, soli Ferdinando III. fata concesserunt, cujus gloriæ *substernenda* hostium trophæa tamdiu conservarunt. Ergo Serenissimi Principes vosq; Legati illustrissimi, Scipionis huj9 vestri Germanici fronti, debitam lauream imponite, imò in unó Ferdinando omnes pene Regum Principumq; familias, aut consangvinitate, aut affinitate junctas, coronate; Serenissimi verò Regis mei pro incolumitate Christianæ reipublicæ, in extrema excubantis statione, laboribus, vigiliis, vitæ ipsius periculis, hoc unum solamen præbete, ut eum vestris judiciis, vestris suffragiis in sublimi Romani Regni throno, collocatam videat, quem sibi DEUS, non solùm sangvinis, & amoris conjunctione fratrem, sed & communium pro Christianis periculorum laborumq; consortem destinavit.

Jovita

Jovita Hæc integra ſatis elegans, nonnullis tamen locis ſubobſcura, & alicubi affectatis ornamentis, tumida oratio eſt. Primam illius periodum, hoc, non nihil, obſcuravit membrum, *& metas Ottomanici Imperii, quas nec ſolis curſu olim declarari volebat Vladislai placito terminante*, verbum iſtud *declarari*, poſuiſſet, meliùs, *definiri* deinde ut Ottomanici Imperii metas Vladislai placitum (ſeu voluntas potiùs) terminârit, hoc enim verò ſuperbè nimiū, vaneq; dictum eſt. Clarior, gratiorq; fuiſſet absq; hoc membro periodus. Item iſtud: *proſpicit ex illa altiſſima Orbis Chriſtiani ſpecula, cui thronus Polonorum Regum ſuperimpoſitus eſt.* pari ſuperbiâ videtur prolatum eſſe: id de Romani Pontificis vel Imperatoris Chriſtiani ſolio veriùs dictum eſſet. *Hungariæ Regni reliquias proluendo gutturi inſatiabili Otthomanicæ belluæ deſtinatas* hæc imaginatio *proluendo gutturi* &c. Levicula mihi eſſe videtur. *Affectum declarare &c. Concivium buſta* veteribus latinis ignota vocabula, qui *affectū* motum, ſeu habitum animi ſignificare volebant non ſtudia voluntatis, Cives autem, non *Concives* dicebant, pro *afflictæ plebeculæ* dixiſſet melius: *afflictæ plebis alligatis [ut pueri ludentes ſolent) oculis*, levis ſarcaſmus. *Forſi-*

tan

tan eadem manu restectente &c. per obſcurũ eſt.

Fauſtinus Quantam nubem huic Orationi limpidiſſimæ, ceu ſpeculo inhalaſti Jovita, ergo ego eam telâ, quam de artis Oratoriæ naturâ, contexui, detergam, ut ſuæ polituræ, reddatur hujus ſvadæ ſplendor. Non poſſum autem demirari cur eam orationem, quã elegantem integram à principio laudaſti, eandem cenſurâ configas. Nonnè (jocum amice ſuſcipe] ita hìc agis, ut ſolent nonnulli, qui nullum bovem mactant, niſi quem priùs ex bono corporis habitu laudaverint. At ut prima oratio magnum ingenium, eruditionisq; uſum, ſcientiamq; in Oſſolinio inventione demonſtrat, ita ſecunda; ac ut prima omni nævo eloquentiæ abſoluta eſt, ita hæc omnî maculâ vacat. Si enim in hoc ſenſu: *Metas Otthomanici Imperii quas nec ſolis curſu, olim declarari volebat, Vladislai placito terminante*, verbum *definiri* eſt melius, quã *declarari*, hoc eſt bonum: quod ſatis eſt ad

cha-

characterem Oratoris optimi, commendandum: (præcipuè cum hìc nova phrasis, peregrinā faciat orationem) Nam ut diximus Sect: 60. Orator non semper optima sectari debeat, sed cogitur supremæ infimam, & mediam, figuram dicendi immiscere. Quanquàm hic sensus eximiè ornatus est. Hæc vox *placitum* cùm sit adjectivū pro substantivo positum in genere neutro, id sanè rectè factum, illi sciunt, qui rudimenta grammaticæ primùm addiscunt: quare nescio cur *voluntatem* potiùs poni exambis, quàm *placitum*. Hanc vocem *placitum* ideo forsitan à te rejici, ex oratione crediderim, quòd in Cicerone quæsita sese legentium oculis nullibi offerat. Tamen ita hic improvidè diceres, quēadmodum, ille, qui contentiosiùs rixaretur, pisces minutulos, mari Euxino non foveri, quod aut magni semper, aut grandiusculi, retibus concludantur. Reperitur tamen hæc vox, apud Classicos authores, qui sæpiùs repetunt has

voces

voces *Philosophorum placita* &c. & præterea metonimia est poniturq́; pro bello, causa moralis pro effectu.

Istud verò *prospicit ex illa altissima orbis Christiani specula, cui thronus Polonorũ Regum impositus est,* satis est defensum, ubi de hyperbola diximus Sectio 66. Demum specula est locus ille, qui extra castra ponitur, ad contemplationem, signumq́; dandum, ingruentis hostis: Romani Pontificis, ac Imperatoris Christiani solium, veluti in castris, in medio nationum Christianarum positũ, aut mari confiniis ab hostib9 Christi sejunctum: Regnum verò Poloniæ cum Turcis sit contiguum, itaq́; inter Imperium Christianum, summumq́; Pontificem collocatum, meritò speculæ comparatur, non illâ metaphorâ quæ rem auget hyperbolicè, sed quæ ad mẽsurã veritatis rebus còæquatur.

Quod ipsum ex Aristotelis signo Sectio: 66. bonæ metaphoræ, rem scilicet neq́; attollentis, neq́; deprimentis compro-

probatur nempe proportione. Ut enim, se habet *specula* militaris, ad *castra & hostem*, ita se habet *Regnum Poloniæ, ad Imperium & Turcas*: de quibus sermo fuerat. Ergo de hoc solo adjectivo *altissima*, quæstio est an superbiâ dictionis tumeret. Cum autẽ Oratoribus commune sit, ad numerum Oratorium & grandiorẽ reddendam orationem, cõparativum & superlativum pro positivo ponere: maximè si affectus id exigat ideo hac lege fretus, non tumoris vitiô, est accusandus, sed approbandus ob suam peritiam Ossolinius. Ergo quæ verba suorum scriptorum Censori Luperco, dixit Plinius: me perhibente in prologo, eadem Ossolinius reddat Jovitæ. *Visus es in scriptis meis annotassê quædam ut tumida, quæ ego sublimia, aut improba, quæ ego audentia: aut nimia, quæ ego plena arbitrabar. Plurimum autem refert, reprehendenda an insignia. Omnis enim advertit, quod eminet & extat, sed acri intentione dijudicandum est, immodicum sit, an grande,*

grande, altum an enorme, sed opus est examine, & librâ incredibilia hæc sint, & inania, an magnifica, & cælestia.

Sed percurramus cæteros sensus, non placet tibi Jovita. *Hungariæ Regni reliquias, proluendo gutturi insatiabili Otthomanicæ belluæ destinatas:* quia hæc imaginatio, *proluendo gutturi:* levicula tibi videtur: cùm tamen non sit imaginatio, sed imago, sed simile, ut diximus de allegoria Sect: 66. Est autem optima, quia signum Aristotelicum bonæ metaphoræ, adeoq; ex illa emanantis allegoriæ, ad amussim competit. Ut enim se habent *reliquiæ cibi vel potûs* ad *insatiabilem belluam*, ita *pars residua Hungariæ, ad avidissimam Turcarum potentiam.* Nonnè eximia proportio? cur ergo vitiosa metaphora? imò levicula imaginatio tibi est? cur non levicula cogitatio Archi-Rhetori Romano, Pontificio Oratori, cujus fama eloquentiæ, mediâ Româ, postquàm extinctus est, sole magis inclarescit, cur inquam non

levi-

levicula cogitatio, & sensus Ferrarii? quem oratione de Hebraicis musis reliquerat? cùm de musis, sive de scientiis ita dissereret. *Non Caballinô fonte labra proluere, sed hoc Divinô fluviô* [id est lingvâ Hebraicâ) *ingeniosam sitim explere solitas esse crediderim.* Si ergo hunc Archi-Rhetoris Romani sensum, tota Roma, omnis Latinorum regio, omnis Doctorum natio approbat, & confirmat, etiã Ossolinianæ Orationis propositum ornamentũ, candidissimô notet calculô.

Num certè ita erit, ut Jovita ais, ut *affectum declarare: Concivium busta sint Latinis ignota vocabula?* quod quæso ex his verbum barbariem induit. Verbũ *declaro* pluries in Cicerone lego. Sic enim in Oratore Cicero, ubi testatur se Attici characteris Sectatorem fuisse. *Quod plurimis locis perorationes nostræ, voluisse nos, atq; animô contendisse declarant,* veniamus ad Syntaxim verbi *declaro* verba *significo, demonstro, ostendo, pronũtio.* ut Nizolius habet, sunt verba in enuntia-

tiatione rei, cum verbo *declaro* æquivalentia. Si igitur *affectum significare, demonstrare, ostendere,* non est phrasis Latinis ignota, multò minùs *affectum declarare;* barbariem non sapiet, ut si *ense ferire,* non erit peregrinum ab oratione Latina, nec quoq; *gladiô ferire* ignota erit vocum Latinarum compositio. Jam verò dum dicis Jovita: quod Latini; *affectum, motum, seu habitum animi significare volebant, non studia voluntatis,* apertè tuam ignorantiam Philosophiæ demonstras. Quis enim unquam voluntatem, sejunxit ab animo. Et si autem Thomistæ memoriam, intellectū, & voluntatē separant ab anima; tamen eandem in se otiosam dicunt, nihilq; agentem, nisi per hos suos satellites, potentias scilicet; quæ quidquid egerint, omne suum exercitium, in animum, tanquam fontem refundunt, ut fama, victoriam à militibus partam in Ducem. Addè quemadmodum errore vel impetu aliquô rapt9, propriā Philosophiæ

insci-

inſcientiam prodendo, tibi injuriam facis, ita eandem rerum naturalium ignorantiã antiquis Latinis Authoribus, & Oratoribus imponis: cũ, contra, quàm ſentiebant veteres, apud illos ſtudia voluntatis, ab affectu & ſtudiis animi ſeparata comminiſceris. Cum tamen omnis antiquitas, tam Oratorum, quã Pòétarum ideò hucusq; ſummè approbatur, quod Philoſophiâ imbuta, nobis dicẽdi modos, auxiliô metonimiæ porrexerit. Ut ſi cauſam, pro effectu poſuit, aut è contrà, vel alia; nihil à rigore Philoſophicô remiſit. Unde illis cholera pro irâ, ſoles, pro diebus, dicti ſunt, cauſæ ſcilicet germanæ, pro effectu. Jam iſta vox *Concivis* teſte Cnapiô, videtur non ſatis Latina, ſit tamen nova ad ſimilitudinem vocis, *conterraneus* fabricata, tamen illam poſſe uſurpari ab Oratore, definivimus, tum ibi, ubi de grammatica tractavimus Sect: 73. tum, ubi frigidæ orationis vitium Sect: 71. examinavimus. Si autem Ciceroni,

qui nequaquam Latinæ lingvæ fuit Authors, licuit plures voces effingere, aut è Pòëtis usurpare, quod luculenter in loco citato proximè, demonstravimus, cur non Ossolinio? Quid verò si eloquentissimus Sanctus Gregorius Papa, illam homil: 21. in Evang: adhibuerit, in qua homines *Concives* Angelorũ nominat, ubi sic loquentem Angelum ad Magdalenam Mariam Jacobi & Salome inducit. *Cur pertimescitis quæ vestros Concives videtis?* Adde doloris hìc significationem, ab Legato premi: affectuum autem excitandorum ea indoles est, ut non modò novam hanc vocem, verum peregrinam, Pòëticam admittat.

Adhuc non possum demirari, quod Jovita in foveam cecideris, quam fecisti alteri. Etenim, ubi reprobas dictũ, *afflictæ plebeculæ* ipse supra in idem lapsꝰ es vitium, ubi dixisti hæc, *imaginatio levicula*, esse videtur. Cur ergo vis ut *plebem* potiùs posuerit Ossolinius, quàm

plebe-

plebeculam, cum ipse *leviculam* potiùs dicas, quam *levem*? Sed forsitan jocandi voluntas tibi cognata, ad usurpandũ istud diminutivũ, cõpulit te amice. Ergò quoq; ad imminuendam *plebis* vocem, Christiana commiseratio pertraxit Ossolinium. Ut hôc artificiô pusionibus populũ comparatione conferens, eò magis ad misericordiam Auditores suos commovisset, quantò infelicitatem parvulorum, magis dolemus, quàm adultæ ætatis infortunia.

Jam hic sensus *alligatis [ut pueri ludentes solent) oculîs*, sit tibi Jovita levis sarcasmus. Ut enim equus generosissimus, non semper æquabili gressu, premit iter, verùm quandoq; volucrîs instar, subsilit in àëra: ita Oratori convenit, quandoq; sensu vibrantiore exultare, imo cadere Sect: 43. reg: 5. Addo quoniam metaphoræ adeoq; similis, seu imaginis èàm indolem, perhibuit Aristoteles, ut diximus de metaphora Sectio 66. ut si laudemus, ab eximiis

rebus, ac pulcherrimis sumamus: si vituperemus; à deterrimis, & abjectis: hìc, cum Turcarum conatibus insultat Ossolinius, rectè ab hoc puerorum ludo duxit imaginem. Præterea per hoc simile, urbanam effecit orationē, quàm dotem descripsimus Sect: 62. Ad hoc verò: *forsitan eadem manu reflectente addě; discordias*: quod verbum subtractū per figuram intelligitur Synecdoches, & tolletur prætenta tibi obscuritas. Itaq; abundè, & Ossolinianæ gloriæ, & arti Oratoriæ satis fecimus.

Sectio 76.

Tertium exemplum solidæ Orationis

Oratio Mallogonellii Florentini.

I. *Faustinus* Satis injusta Orationib9 Ossolinii censura à te Jovita imposita, nostrîs vindiciis apparuit. Pergamus extra Patriam, inspiciamusq;, an etiam oratio Mallogonellii Florentini ad Christinam Svecorum Reginam, nomine exiguæ Reipub: S. Marini habita, referta

sit

ſit maculis, an verò ad omnem elegantiam ſtyli compoſita.

Deſcriptio oppidi S. Marini à Mallogonellio Orationi ad Chriſtinam Svecorum Reginam nomine exiguæ S. Marini Reipubl: habitæ, inſerta.

2. Mons aſſurgit omnium, qui Flaminiam, exaſperant, editiſſimus. Verticem hujus nobilitat arx vetuſtiſſima, quæ omnium latè finitimarum gentium, *viſus amabiliter rore fatigat* nam perpetuis voraginum munita periculis, velut in invidiam ſervientis Italiæ *immiſſū pene cælo ſupercilium libertatis oſtentat* â fronte Adriaticum æſtuat mare, inferiora laterum ambiunt læti cultiq; colles &c.


3. *Jovita* Sanè me plurima in hac deſcriptione exagitant. Jſtud enim *exaſperant* pòéticum eſt: iſtud *gentium viſus amabiliter fatigat*, affectatæ ſunt ſtyli luxuriantis deliciæ. Hac in periodo, *nam perpetuis &c.* Entheus pòéticus, tumor, levitas, & obſcuritas certare videntur. Examina enim iſtud, *immiſtum pene Cælo ſupercilium libertatis* & ſi non tumidum, non leve eſt, ut libet judica. Et alia hujusmmodi, pòémati quam orationi propria.

Faustinus Festiva hæc descriptio, & venustissimæ elocutionis ornamentîs compta, penè ad Pòëticam descriptionem inclinat, Pòëtarum enim est, summum in ornandis stylo rebus consectari studium, non tamen vitiosa hæc descriptio, & si gravi orationi, qualis Legatorum est immissa. Minimè hanc vitiosam esse putes, cum Oratorum excelsorũ præceptis sit conformis. Hanc enim Plinius Junior epistolâ ad Fuscũ præscribit. *Sæpe in orationes quoq; non historica modò, sed propè pòëtica descriptionum incidit necessitas.* Huic necessitati cessit Plinius, ubi ornare stylo suam Patriam attentavit, sic enim ad Lupercũ epistola sonat. *Sunt quædam adolescentium auribus danda, præsertim si materia non refragetur. Nam descriptiones locorum, quæ in hoc libro frequentiores erunt, non historicè tantùm, sed propè pòëticè prosequi fas est. Quod tamen si quis extiterit, qui putet, nos lautiùs fecisse, quàm orationis severitas exigat, hujus, ut ita dicam,* *tristi-*

tristitiam, reliquæ partes actionis, exorare debebunt. Et in ratione conviviorum, quãvis à plerisq; cibis singuli temperemus, totã tamen cœnam, omnes laudare solemus. Ita Plinius contempsit eos, qui descriptiones locorum, propè pòéticas redarguerent, hoc enim indicat. *Si quis extiterit, qui putet nos lautiùs &c.* Ergo satisfacimus tibi Jovita: tu hanc Mallogonellii descriptionem pòéma putas, nos finitimi arbitriô, quia penè pòéma arbitramur. In hoc tamen tecum nobis dissidium, quòd tu ementitus Oratorũ præceptum, descriptiones pòéticas, extra limites orationis mittis: Nos illis civitatem in oratione damus, lege Plinii suffulti,, quanquam tuus ac illorum qui per Criticen emendant eloquentiã totus labor pòéticus est, & pòéma, cũ multum risum excitet, quod est Pòétarum maximùm ex sensu Aristotelis. Et in hac quoq; censura, dictum tuum Jovita, *affectatæ sunt styli luxuriantis deliciæ* aut pòéma sunt, aut propè pòéma.

Jam

Jam tumor, levitas, obſcuritas gratis imponitur. Imò qui hydropici ſunt, non ſunt leves greſſu, ſed lenti: aut igitur affectum tumore oportet non eſſe, eũ, qui velox curſu; aut qui hoc morbo laborat, eum levem eſſe impoſſibile. Ita ſi hæc deſcriptio tumida eſt, levis non eſt: ſi levis, non tumida. Præterea hæc oratio, cum compoſita ſit ad dicendum non imprimendum typo, non eſt mirum, cur, quæ auditoribus clara lectoribus obſcura, videatur; nam in oratione dicta, verborum ſignificatio, geſtu & actione completur, ut in Ironia, & Æthopeia. Tandem ſi hiſce rationibus non ſatis præmunitur: corrigatur typi error: *finitimarum gentium viſus, conſpectu amabiliore* (pro amabiliter rore] fatigat.



ſe-

Sectio 77.
QVARTUM EXEMPLUM

Panegyris Bartochowſki So: JESU Joanni III. Poloniarū Regi dicata.

Fulmen Orientis
JOANNES III.
Rex Poloniarum.
Ter Maximus.
Bellicæ Fortitudinis gloriâ.
INNOCENTII XI. ſollicitudine.
LEOPOLDI I. ſtudiô.
Ingenti portæ OTHOMANICÆ terrore
Publico Orbis Chriſtiani votô.
Belli Orthodoxi
IMPERATOR electus.
Viennæ, Auſtriæ, Pannoniæ, Podoliæ,
Ukrainæ, Valachiæ &c. &c.
VINDEX.

à Po-

à Populis acclamatus
Barbaricis adoratus cladibûs
Inter festivos Triumphantis Europæ
Plausus, à devinctissima MAJESTATI SUÆ
Societate JESU Polona
In sæculorum memoriam & Regum
exempla

RELATUS.

SI adhuc dubium esset (exordi*um* est) fatônè an casu & Arbitro Numine, bella geri, liqueret tamen, vel supremam hanc expeditionem, qua omnium exempla temporum, omnium literarum memoriam, ætatum omnium admirationem, sæculorumq; omnium invidiam superasti, divinitus esse adornatam (2) Quasi etenim coram palamq; à superis esses admonitus, ita *in hostem. ipsi etiam telluri gravē, inusitato Heroib9 passu iv.sti* ut securior credereris victoriæ, quam ille pugnæ [3) Nocuerit multis *nimia humanarum virium securitas* nemo enim succumbit faciliùs quam qui nihil timet, & sæpè magna *serenitas graviùs fulminavit* [4] sæpe feralis erupit tempestas è felicitatis malacia, sæpè medios secuit trium-

phos,

phos, contemptus hostis spernentis negligentiâ factus validior [5) Tu causa belli armatus, *conjuratis in Austriam, terrâ, mariq; barbaris, unus rerum humanarum videre aleam, unus insultare fortunæ, videbaris* [6) *Ita sonitum procellæ atrocissimæ, tranquillis auribus excepisti,* ita inconcussus vidisti orbem circa te ruere, ut cuicunq; Regium spectare vultum contitisset, ad immortalis gloriæ capitolium ferri te diceret, non ad bellum &c.

Jovita. Panegyris omni vitiô non detersa est, nam orationem hanc meliorem cæterîs, potiùs quàm bonam dixero. Dictio clara est, cogitationes nonnullæ acutæ, & solidæ, cætera incautè, atq; etiam affectatá, & coacta, nam non tam naturam Orator studuit imitari, quàm Plinium, à quo quantùm absit, per se satis legenti, & comparanti liquet. Facile de hoc judicio mecum convenietis, si bonæ Critices legibus examinemus, cogitationes singulas: nam quævis, vel brevissima sententia quævis vox, ita debet esse ab Oratore prolata, ut undequaq; rectæ rationi cohæreat.

Faustinus. Plinium tanquam idæam à Bartochovscio suæ imitationi propositam perhibes mi Jovita, qua in re?

Num

Num inventione & dispositione eum imitabatur? an elocutione? Primas duas partes, ipsa res, rerumque gestarum series subministrat ut diximus Colloquio de dispositione. Ergo elocutione contendebat forsitan imitari. Si elocutione? Iterum an charactere, an figura, an tropo? Character quidem utrique tam Plinio, quàm Bartochovscio Atticus est, sed amplior tamen & liberalior *in fulmine orientis* quàm pro consulatu datæ gratiæ. Propiorem ego regiam panegyrim, Isocratis orationibus video, quàm Plinio, lege utramque & confer. Elocutio Bartochovscii longè splendidior quàm Plinii. Ego enim audentiùs dicerem, in laudibus Trajani, potiùs Philosophiam politicam, Principis Magistram descriptam, quam panegyrim rectè factis Trajani non dissonam. Ita enim ubi scopum suæ gratiarum actioni à senatu præfixum explicat in exordio Plinius, ait in Panegyri; *parendum est Senatus consulto, quòd ex utili-*

tate

tate publica placuit, ut Consulis voce sub titulo gratiarum agendarum, boni Principes quæ facerent recognoscerent; mali quæ facere deberent. Ergo meta dictionis Plinianæ est informatio omnium Principum, pars certé Philosophiæ in genere Didascalico posita: necesse itaq;, ut ornamentis tropis & figuris sit remissior: Hoc quoq; fecit Xenophon apis Attica in Cyri historia, de qua in Pòési dicemus Sect: 84. & genere demonstrativo.

Jovita Arbitria eloquentiæ non vendico, sed amicitiâ utor tuâ Faustine, sensum aperio meum & pectus: tu me audi censorem, ego te defensorem. Et certè non placet mihi sequens membrum.

Expeditionem hanc, quâ omnium exempla temporum, omnium Literarum memoriam &c. superasti. Dictum enim est contra legem bonæ hyperboles, quæ magnificè Oratorem vult loqui, sed nequaquam omnino falso. Jam ut expeditio Viennensis *superavit omnium exempla temporum, omnium literarum memoriam*

eviden-

evidenter falsum est. Et Sacra & Romana, & Græca & gentium Historiæ habent ejusmodi exempla, aut paria, aut majora. Hic autem dicendi modus, ut in semetipso falsus, ita nimium adulatur, & injurius revera est omnibus aliis victoribus & victoriis. *Omnium ætatum admirationem superasti.* Hyperbole non falsa est, victoriam enim Viennensem dici potest, quòd omnes nunquam satis admirabuntur ætates, uti hucusq; & alias mirantur, & semper mirabuntur victorias. *Sæculorum invidiam superasti,* Quid vult dicere? an hoc fortasse, quòd omnia sæcula invidebunt Joanni? leve est: an quòd tempus invidum Joannis non obliterabit gloriam? ita non male cogitatum, sed obscure dictum est.

Faustinus Cur quæso hic sensus excessit leges bonæ hyperbolæ? quam legem, pro illa affers, cur eam non ponis, disceremus aliquid: Cur quæso mi Jovita personam Doctoris non induis, gloriam certè in lucro haberes laboris. Ego etenim multa præceptorum Rhetoricæ evolvi monumenta, & duas leges hyperbolæ reperi contrarias. imã in Soario; quæ jubet aliquid efferri su-

pra

pra fidem, non tamen ſupra modum. Alteram in Antonio Majoragio Rhetoricæ Ariſtotelicæ interpretè, quæ ſupra *modum* jubet efferri rem viribûs hyperboles, quare ubi de tropis egi, parũ hac in re decrevi: cum omnis ejus modus in vehementia affectûs excitati poſitus eſt: ut de hyperbola diximus. Ergo quia tibi videtur hæc hyperbola ſupra leges, & forſitan ſupra modum, ideo hic ſenſus erupit, quia Joannis III. facta, utpote non recentia, non tantò ſunt amori, non tantæ lætitiæ, aut cognitioni, quantam ex immortalibus recte factis Regis Poloni, conceperat voluptatem Bartochovſcius. Cum autẽ incomparabile gaudium inceſſerit illum ex Regis gloria, omnia excedentẽ poſuit hyberbolam. Hanc affectus Tulliani intenſionem explicant exempla illa, quæ in defenſione orationis primæ Oſſolinianæ contuli, hanc exigit Ariſtoteles, ut diximus Sectio: 71. contra vitium frigidæ orationis. Hãc

vehe-

vehementissimam animi commotionẽ significat: illud Ciceronis de Aruspicum responsis: *omnes terras, omnia maria movêre* & pro lege Manilia. *Nunc verò cum sit unus Cn: Pompejus, qui non modò eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam superavit.* Nonnè idem ac si diceret omnium hominum memoriam superavit? Et infra. *Testes verò* (virtutis Pompeii) *omnes oræ, atq; omnes exteræ gentes, ac nationes, tum universa, tum in omnibus oris, omnes sinus atq: portus.* Ita nè etiã China atq; novæ insulæ, post Ciceronis tempora repertæ, testimonium virtuti Pompejanæ exhibuere? Poteratnè Cicero hæc falsò dicere adversantibus sibi Catullo & Hortensio? Sciebãt isti viri Tullio oppositi, quo sensu Oratorio ista sunt sumenda, qui benè artẽ tractabant Oratoriam: vel si ignorantia hiscè omnibus imponitur: promas quæso Jovita legem, condocefacias errantes nos, cum omni antiquitate

Ora-

Oratores. An tibi necdum perſpectū, omnem tropum habere duplicem ſenſum literalem & myſticum. Nam dū dico *flumen* eloquentiæ, exigui ingenii homo, & rerum ignarus putat, id falsò, à me dici, quia putat, quòd eloquentia, habeat, & contineat, aquam fluentem: ſed cui diligentia limavit ingenium, intelligit per flumen eloquentiæ, eam orationem, cui & inventio eximia ſubeſt: & cui filum diſpoſitionis ſejunctas copulat partes, & cui numerus Oratorius lenem fluentemq; ſvaviter facit ſonum. Itaq; hyperbola non apud omnes falsò enuntiat, apud viros enim rerum gnaros, ſemper verum dicit, quemadmodum de hyperbola diximus, ubi de tropis.

Cur autem mi Jovita adulationem objicis Bartochovſcio? ſi Philoſophiam audiſſes, illa utiq; edoceret, quid adulatio ſit. Etenim illa eſt *libido aſſentiendi potentis perſonæ actionibus, contra leges, ac rationem factis, commodi ali-*

cujus causâ, per quas suas dotes, tum ab approbatione virtutis alienæ, eximiis viris ac DEO usurpatâ differt, tum ab illis distingvitur, qui cum civilium morum sint, minimè importuni, dissentiunt voluntati potentiorum à scelere alienæ, & si honestum inde aliquod sperent lucrum. Jamnè victoria JOANNIS tertii, quam LEOPOLDUS Jmperator Christianissimus desideraverat, ad quã tentandam INNOCENTIUS Pontifex Regem Poloniæ oraverat, quam totus Christianus Orbis, precibus, & lacrymîs à DEO expetierat, erat contra cõtra jura, leges, ac rationem? Sanè mi Jovita non possum demirari tui oris insolentiam, ac meæ familiaritatis usum, ut te Rhetoricum exhiberes, victoriam JOANNIS, scelus esse maluisti, dum adulatorem Oratorem.

Adde, si hæc hyperbola, *omnium ætatum admirationem superasti*, non est falsa, ut perhibes, nec illa, *omnium exempla temporum, omnium literarum memoriam supe-*

superasti, erit errori obnoxia, quamvis non mysticè per tropum, sed literali sensu sumpta. Nam si admiratio, omnino prudens, hìc insertæ victoriæ, major est omnium ætatum admiratione, exemplum victoriæ partæ à JOANNE Tertio, majus erit omnium ætatum victoriîs; sicut enim se habet excessus admirationis victoriæ JOANNIS, ad minorem admirationem sæculorum, ita se habet objectum unius prudentis admirationis, ad objectum alterius: quo pro fundamento locato, etiam, citra ullam auxesim, spolia ab JOANNE de hoste rapta, superabunt omnia, omnium ætatum virtutis bellicæ monumenta, cum sua excedit cæteras omnes admiratio. Ut si suscitatio mortui, omnē admirationē hāc superat, quæ ex cæteris Divinæ virtutis prodigiîs, ægritudinibus hominum impensis, oboritur, necesse ut ad vitam sepulti revocatio, omnia potentiæ Divinæ antidota infirmitatibus mortalium applicata, ma-

gnitudine præveniat. Ita si factum Joannis, omnium ætatū admirationem superavit, idem opus regium, omnium exempla temporum, opus est, ut præcurrat.

Hoc verò *sæculorum invidiam superasti*, cum multis intertextum sit tropis, in lumen Oratorum venire debet, de quo Sect: 61; nihilq; significat, nisi, quòd in possessione famæ ac gloriæ victoriâ partæ, contra invidiam, affectum scilicet non otiosum, sed activum, Rex perseveraverit, ut ille bonorum possessor, qui ad Tribunal vocatus, atq; sancito in jure possesso, firmatus, superat adversarium cum bonis non pellitur, in quibus eum antiqua jura posuerunt.

Jovita Placet tua Faustine industria, sed hoc imminens tueri non poteris. *Ita in hostem ipsi etiam telluri gravem inusitato Heroibus ivisti passu*, Nam dicere hostem ipsi telluri gravem, omnino pòeticum est. Oratorem minimè talis imaginatio decet. Aliquanto meliùs hæc cogitatio locum haberet in carmine, si castra, & bellica onera versu describeres

heres eleganter ita caneres: *portandis subsidit humus propè molibus impar, ipsa gravi tellus pene sub hoste gemit.* Ita cogitare Pöétæ, non Oratori liceat. *Inusitato Heroibus passu:* & inutilis amplificatio est, & Epithetum, inusitato passu, falsum omnino est.

Faustinus Sit sanè hoc Pöéticum, tamen in oratione germanè Oratoria locum habet. Nonnè pöéticũ quoq; & illud est, in Plinii Panegyri Traiano dicata? *Quòd si quis barbarus Rex, eò insolentiæ, furorisq; processerit, ut iram tuam indignationemq; mereretur, ne ille, sive interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu præcipiti monte defenditur: omnia hæc tam prona, tamq; cedentia virtutibus tuis sentiet, ut subsedisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare, illatasq; non classes nostras, sed terras ipsas arbitretur.* Quid igitur Jovita? Nonnè *subsedisse montes, flumina exaruisse &c.* tibi erit imaginatio Pöética? cur tamen illa locum habet in probatissima panegyri. Quid illud Plinianum? *Videor jam, cernere non spoliis Provinciarum, & extortis*

sociis aurô, sed hostibûs armîs, captorumq; catenîs triumphum gravem. Nonnè imaginationi pòéticæ non absimile? *Insitato Heroibus passu* tibi Jovita esto inutilis amplificatio, esto epithetum omnino falsum, eritnè tamen utile illud Plinianum *interfuso mari,* eritnè verùm *subsedisse montes &c.* Sed resolvamus oratoriè, in hoc vexato à te sensû, *hostem telluri gravem,* esse figuram, quæ Oratoribus *Emphasis* dicitur: hic enim sensus indicat, hostis multitudinem.

Jovita. Nimia humanarum virium securitas: dicitur quidem bene, securitas animi, mentis, conscientiæ, securitas urbis, Civium, Reipublicæ, sed securitas humanarum virium, nescio quid minimè Latinum sonet. Dixisset fortasse meliùs, nocuerit multis nimia securitas aut nocuerit multis nimia in humanis viribus fiducia. *Nemo enim succumbit faciliùs, quàm qui nihil timet:* hoc quidem & sapienter, & latinè dictum, *Serenitas fulminavit.* Tropus est planè Pòéticus, dixisset meliùs: *cælum serenum.*

Faustinus. Per METONIMIAM *humanæ*

vires,

vires, pro hominibus robuſtis ponuntur, qui ſæpe ſecuri ſunt ob virium fiduciam, tropus novus ad urbanam orationem [de qua Sect: 62.) reddendã excogitatus. Eadem eſt translatio *ſerenitas fulminavit*, pro cælo ſereno. Ergo latinè quia oratoriè dictum, cum per tropum: non enim effæta de tropis in ſcholis doctrina traditur.

Jovita. Sæpe feralis erupit tempeſtas ex felicitatis malatia; tota tumida ac Pòética eloquentia, *contemptus hoſtis ſpernentis negligentiâ factus validior* hoc verò egregiè dictum eſt.

Fauſtinus. Nihil hìc ego tumoris video: nam illud ſignum Ariſtotelicum, de quo Sect: 66. in tropis huic allegoriæ ita congruit, ut nec nimium rem augeat, nec minuat, eſt enim inter duo ſimilia hæc proportio geometrica. *Ut ſe habet fulmen ad malatiam, ita ſe habet bellum ad tranquilla, ſecuraq; tempora*, nihil quoq; hic Pòétici ſuſpicio. Nam tunc allegoria in Pòéſim migrat, cum aut nimis producitur, aut trahuntur à

longè,

longè, aut frequentantur plùs æquô imagines veritatis, aut ænigma planè obſcurè ponitur. Huc revoca illum ſenſum, quem in Malogonellii defenſione Sect: 76. adduximus, in quo nihil Pòéticum cenſebis mi Jovita. Addjice quæſo, quàm tibi ipſe repugnes, cū tibi hoc tumidum, hoc Pòéticum videtur, eritnè hîſce vitiîs afflata ſequens cogitatio. *Ita ſonitum atrociſſimæ procellæ tranquillis auribûs excepiſti:* Tu hanc certò abſolvis omni nevô: quare & illam.

Jovita, Unus rerum humanarum ridere aleam, unus inſultare fortunæ videbaris: Hoc quoq; aut Pòétæ, quàm Oratori, aut forſitan Senecæ in Corſica res humanas contemplanti ſimiliùs, & ſane eſt tumidum. *Conjuratis in Auſtriam terrâ, mariq; barbaris:* Neſçio quonàm mari, & quali claſſe in Auſtriam usq; appellatur: inter Adriaticum & Auſtriam aliquot interſunt Provinciæ: Tergeſtum maritimo bello non fuit petitum: proverbium itaq; *terrâ mariq;* non ſatis cautè acceptum.

Fauſtinus En ſimile Cicero pro lege Mani-

Manilia. *Nunc verò cum sit unus Cn Pompejus, qui non modò eorum hominum, sed etiam antiquitatis memoriam superavit.* Et libr Partit: *Marius, qui mihi in secundis rebus, unus ex fortunatis hominibus, in adversis unus ex summis viris videbatur.*

Præterea ridere aleam fortunæ, est hominis Christiani, multò magis Regis Orthodoxi. Ergo si Senecæ optimo Viro, atq; probo esset simillimus, id plus laudis corrivaret in Regem Poloniæ, quam censuræ. *Conjuratis terrâ mariq́;* (habitantibus subintelligas per figuram Synecdochæ) *barbaris* cessabit tuus Jovita impetus. Sicut in illo Tullii pro lege Manilia: *Ut aliquando viderentur* (Romani] *terrâ mariq́;* (adde habitantibus) *imperare.* Sicut itaq; Tullius, non proverbium *terrâ mariq́;*, sed rem vocibus suppositam intellexerat, ita & Regius Orator. Aliter verò in sua *Philosophia* tanquam proverbium usu capit Cicero. Etenim ubi universam Philosophiæ rationem, distinxerat

in tres

in tres classes, unam, subtilitatem cognitionis, alteram, morum, tertiam, obscuritatem naturæ, addit, quam *Philosophi, terrâ marîq; (ut Pòëtico utar verbo) perscrutati sunt.*

Jovita. Ita sonitum atrocissimæ procellæ tranquillis auribus excepisti hoc satis bene est dictum; *ita inconcussus vidisti orbem circa te ruere; ut ad immortalis gloriæ capitolium &c.* Quanto entheo, quanto cothurno, quanta Pòëticâ hoc loci imaginatione laboratum?

Faustinus. Certè hanc hyperbolam Orbem ruere, non posuisset Orator, nisi timorem incutere vellet lectori, ex commemoratione ingentis consternationis Europæ. Quod si hoc, imaginatio erit Pòëtica, erit & illud ex Plinii panegyri de bello ad Danubium, hyemis tempore. *Nostra agmina percursare ripas, & aliena occasione, si permitteres uti, ultro hyemem suam barbaris inferre gaudebant:* quam enim hyemem suam, Romani barbaris intulerunt? quod si non Pòëticum hoc, obscurum tamen

aut

aut ambiguum dicere cogeris, & tamen Oratorium? Sed jam ipſa rei prolixitas parit faſtidium. Perſcrutare percenſe evolve & lege Jovita lumina Oratorũ, lege tropos: cæteros ſenſus panegyris, tuô ingeniô, & induſtriâ facilè abſolves crimine, maximè cum ego non reſpondendi cenſuris tuis, quod ſupervacaneum, ſed univerſæ eloquentiæ explicandi naturam, quod diſcentibus utiliſſimum, aſſumpſi munus. Ita omnino laudandus eſt Orator, JOANNIS 3tii, ut omnes regulas Oratorum conſecutus ſit. Nam inventione ſolidus eſt, diſpoſitione ſatis exactus. Elocutio illi magnifica, ac ad rei magnitudinem, ad lætitiæ ingentis pompam conformata. Demum ad ipſius (quod maximè tenendum eſt) Principis ingeniũ fabricata. Etenim *Joannes tertius* totam ſuam aulam effecerat Lucani Pöétæ diſcipulam, ut is gratiam Regis maximè occuparit, non qui lingvarum peritiâ, non qui ſuperbo amictu curiam inor-

inornaret regalem, sed qui ephebus plurima ex Lucano teneret, atq; ad rerum exigentiam, fragmenta depromeret. Equidem ut ipse Rex invicti erat ingenii, sic omnibus generosos belli spiritus, inesse contenderat, quos Lucani lectione foveri ambigebat nunquam. Quis autem Lucani stylus ex historia, quam Strada lib. 2. prolus. 5. profert, inclarescere potest. Postquam enim Romani Pòétæ indixêre Apollinares ludos, Bacchanaliis propinquo tempore, suiq; comitii locum, domum Alexandri præfixêre, ad quam, quisq; veniret habitu, Symbolisq; conspicuus, ejus Pòétæ, quem maximè probaret, cumq; via ad forum obsideri cæperat, præfixo die, sequens Pòétarum expeditio facta est, verba sequuntur *Stradæ.*

STATIUS.

Primus se in conspectum dedit Jovianus Pontanus, latisq; ostendit à se referri, Papinium Statium, popularem suum. Præaltô ferebatur impositus equô, cui non vulgaris incessu gradus, sed sonora alterno crurum explicatu glomeratio videbatur. *Qua-*

Quadrupedante putrem, sonitu quatere ungula campum. Virgil: lib: 8. æneid:
Ipse auro, indicisq́, distinctus unionibus & tanquam.
Super imposito moles gemmata Colosso eam speciem referebat, quam olim speciem ex Pòëtico ad Albam certamine, victor intulit Romam. Nam & lauream capitis, & torquem pectoris auream, quam ei Domitianus imposuerat, magnifice ostentabat identidē clamans.
Mediis videor discumbere in astris
Cum Jove & Iliacâ porrectum sumere dextrâ
Immortale merum. Stat in Epul. Dom.

CLAUDIANUS.

Proximus ibat Balthasar Castilionius Claudiano similis, gradario insidens equo, pere--grinis phaleris, bracteisq; sonorè tinnientibus instrato. Vestitus idem, qui in marmorea ejus statua, ad torum Trajanum visebatur, plexum hædera capillamentum, aut rugæ, explicata omnia, ac pòëtico planè metrô composita.

OVIDIUS.

At Herculi Strozzæ qui Publii Ovidii Personam gerebat, longe aliud ornamentum. Expeditus in equulo statim emicuit, fracto cum arcu, telisq;, sub tomitano palliolo; nec facile apparuisset in ea hominum frequentia, equésne

an

an pedes iret, niſi acrem, volucremq́; belluã, agitator ipſe callidus, in omnem partem ingenioſe flectendo omnium admirationem, quo ſe cunq́; moveret, excitaſſet.

LUCRETIUS.

Herculem, Petrus Bembus Lucretii ſub perſona, ſedatior aliquantò, ac tardior inſecutus eſt. Non quod ei vis ignea, furorq́; ſupra omnem Pòëtarum inſaniam deeſſet, ſed ſive quia pedes ut Philoſophum decebat incederet: ſive quia Philoſophorum pallio, Romanam togam ſuper induxerat: ideo cogebatur operosè ingredi, ac paſſim interſiſtere: lætus tamen illo compoſitæ ab ſe veſtis artificiô, ea gloriosè repetebat.

Avida Pieridum perago loca, nullius ante
Trita ſolo: juvat integros accedere fontes
Atq́; haurire, juvatq́; novos decerpere flores
Inſignemq́; meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Muſæ.

LUCANUS.

Interea exaudiri è proxima vicinia Bætici fragor equi ac turba latè calcibus ſummoveri. Erat hic Janus Parrhaſius, Annæum Lucanum referens, qui dum quadrupedem paſſim fatigat, eumq́; modo tolutim, ac volutatim incedere, modo ſe in àëra ſaltu librare docet, nactus

equum

equum refractarium, & caducum excusso in terram, galericulo minus belle pompam equestrem dabat.

VIRGILIUS.

Sed illinc avertit extemplo, in se omnium oculos, qui Virgilium agebat, Andreas Naugerius. Quadrigis vehebatur triumphanti similis, regebatq; manu equos quaquam volucres &c.

Et Qui candore nives anteirent cursibus auras
Virg: 12. æneid:

ita tamen moderabatur, ut suspensô ad numerum gradu incederent, ungulasq; certa per intervalla modulate colligerent.

Ipse autem cui virga dedit memorabile nomen Laurea. Calvus Pòéta.

è lauro virgam manu præferebat, togâ purpureâ indutus, & quasi pro victoria jam tum vota conciperet.

Victor ego (ajebat) *Tyrio conspectus in ostro*
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus,
Ipse caput tonsæ soleis ornatus olivæ
Dona feram. Jam nunc solemnes ducere pompas ad delubra juvat Virg: 3. Georg:

Reliqui Pòetæ.

Mitto jam reliquos aut mannulis juveniliter exul-


exultantes, aut prisca libertate plaustro loquentes, aut junctis bobûs, pastoritia meditantes. Quos ingens aula cum accepisset sedissentq; singuli, majoribus sellis, non alio quàm venerant, ordine dispositi, adfuit è proximo cõclavi Sadoletus, admiratusq; concionis frequentiam, ac florem Romanæ nobilitatis, traductus per humeros ad suggestum, Pòétarum coronâ, ac tota illa Virorum panegyri salutata, exorsus est orationem.

Ex quo Pòéticæ scenæ theatro, quis sit Lucanus, satis metiri potes, quis quoq; fuerat JOANNI Tertio genius, qui Lucanum adamaverat. Nisi enim peregrinam attulisset, tum novis tropîs tum hyperbolis, tum vehementioribûs figurîs intertextam orationem Bartochovscius, nequaquam dignum Principis oculis, eloquentiæ exhibuisset monumentum. Efferri igitur debuit per hyperbolas, peregrinam orationem reddere, per novos tropos, admirationem rebus conciliare, per vehementes figuras: easq; frequentiùs

inter-

interpositas maximè cum Isocratē pro exemplo habuerit, qui hæc omnia ex ingenio consectatus est. Et cum oratoris munus non vulgare sit, ad audientium aures, quos omnes Rex solus suppleverat, svadæ tubam inflare, ut diximus Sect, 63. reg: 13. Satis autem quilibet orator laudis lucratur, qui ad res verba quærit, in quo ceu cardine Gallutius totam facundiæ vim suspendit ut Sect: 43. regu: 7ma diximus, quibus cùm satisfecerit Bartochovscius, Oratoris germani nomen sustineat.

Ne longior autem de humaniore literatura dissertatio, tædium Jovitæ injiceret, statuit locum non materiam dicendi immutare Faustinus atq; unà in antrum Apollinis vicinum, invitavit auditorem sibi familiarem. in quod dum urgent gressum, tum



PARS QUARTA.

De Genere Demonſtrativo ſeu Epidictico.

COLLOQUIUM I.

De ſpeciebus generis demonſtrativi.

SECTIO 78.

De prima ſpecie hujûs generis ſivè de ſolidò laudum genere, ac Oratorio & ejus regulis.

PRimùm *Fauſtinus* orſus. Ut in genere judiciali, ſurrexere molliores dicendi formæ, ita & in laudum alienarum concentu. Alii enim Panegyriſtæ ſunt, qui dum, cum iis, quos laudabant, totam vitam egiſſent, non modòq; fortunæ ac geſtorum ſpectatores, verùm & dictorum ſpeculatores fuiſſent, ita laudes ſubornârunt, ut nihil in eis ab oratorum, de quibus hactenùs, ſeveritate, ac Encyclopædia remiſsũ fuerit. Tales illi Panegyriſtæ fuerant quos Sect: 10. ſupra propoſui; qui

omnes actiones, omnia geſta, naturæ, fortunæ ac bonorum indolem, ad Philoſophiæ moralis, Politicæq́ſancita tāquàm ad rectè agendorum normam detulerunt. Sed cum ancipiti fama, vitam laudandorum ac mores ſibi delatos ſuſciperent, conditores panegyrum, alia ratione aggreſſi ſunt, citra ullius injuriam, cum magno Reipub: commodo, ſtylo illuſtrare, inſigniores Regnorum perſonas, nec adulationi, nec falſitati locum concedentes. Etenim ſi Ethnicum Oratorem hæc macula aſſentandi coinquinat, quantò magis Chriſtianum? cui id maximè cavendum, ne quemadmodùm Auguſtinus ſuam eloquentiam, necdum modeſtiâ Chriſtianâ luſtratam, inſanias mendaces pronuntiavit, id ipſum in Catholicæ fidei aſſertores, facundiâ exercitatos, cadat, Certè id maximè perficiunt Chriſtiani Oratores Pòëtas imitādo, quibꝰ nulla antiquitas aut mendacii aut adulationis aſperſit maculam.

Sed priùs aliqua breviter de hoc Oratorio tanquam augustô laudandi modô, perstringamus: magna enim lis oboritur, quâ eloquentiæ magnificentiâ celebrari debeat. Equidem quid quid universaliter, de elocutione diximus à Sect. 63. id quoq; huc corrivari potest sed quoniam diximus ab exordio Sect. 6. ut scriptores ita Oratores, à consulibus & causidicis celebritate grandiore sermonis differre, quam mensuram huic augustissimo dicendi generi assignemus, difficile concludere. Regulam tradit Aristotel: lib: 3. Rhet: cap: 43. *In exornationibus, ea cura esse debet, ut amplificando probentur, quæ facta sunt, honesta, atq; utilia esse; nam ea credi opus est: siquidem rarò probationem requirunt; nisi fortè vel incredibilia sint, vel aliquis alius eorum existimetur*; Sed per quæ & quomodò amplificari potest factum, id graviorem solertiam mihi indiceret, nisi ipse Aristoteles eodem libro 3. cap. 12. de Rhetor: amplificandi normam

præ-

præfinisset, qua grandior reddatur oratio. Itaq;

1ma. tex: 112. *Ad elocutionis autem amplitudinem & granditatem hæc proderunt: Primum, si definitionem loco nominis ponas, exempli gratiâ, si non circulum dicas, sed figuram planam, cujus extremitas paribus à medio radiis attingitur, qui verò brevitati studet, is contra nomen definitionis ponat.*

2da textu 12. *Erit etiam grandis oratio quæ translationibûs & epithetîs illustrabitur, modò ne in Pòéticam licentiam exeat.*

3tia textu 113. *Et si ex uno plura fiant, quod Poétæ sæpe faciunt, ut quamvis unus tantum portus sit, tamen dicunt, intra portus Achaicos.*

4ta tex: 114. *Et si nomina non conjungantur, sed separatim singula proferantur: ut ejus mulieris, quæ nostra est, & contra breviter, nostræ mulieris.*

5ta tex: 118. *Atq; etiam illa Antimachi ratio utilis est, nempe commemorare ea, quæ rei non adsunt, quod ille facit in celebrando colle Theumesso: Est quidam modicus collis,*

quem ſpiritus non afflat. Seu ut Majoragius. *Si probemus ideo magnopere laudabilem eſſe, quòd multîs rebûs malîs careat, quæ in aliis reperiuntur.*

6ta tex: 120. *Hoc magnopere probatur in iis translationibus, quæ ex proportione ducuntur ut ſi quis dicat tubæ ſonitum eſſe cantum alyrum:* id eſt ut Majoragius: *à lyræ ſuavitate multum alienum & plane alyrum.*

Sed inſuper hoc imprimis conſtituendum eſt, ut quoniam quæ laudantur permiſta imperfectionib9 ſunt; illa itaq; quæ vituperium provocant taceamus, quæ verò ornandis rebus inſerviunt proferamus. Hanc ob rem laudatur ab Ariſtotele Simonides, qui ad exiguæ mercedis illicium, noluit carmina contexere, tanquam indignum ratus, Anaxillam Maſsenium, verſibûs canere, qui mulabûs victoriam conſecutus eſt, ne in mulas muſam conderet: poſtquã juſta mercede invitatus eſt, cecinit; *Salvete o volucrum filiæ equorum.*

Sub-

Subticens ſcilicet, quod mulæ ab aſinis etiam abjectis ducerent originem. *Quod turpè igitur fuit, ſubticuit* ait Ariſtoteles.

Alterum Prænotandũ, quòd hic valeant plurimũ exempla à vita & familiâ laudati, aliena: de quo ita Ariſtot: lib: 3. Rhet: tex: 399. *In exornationibus oportet hinc & inde cumulando, refertam, & plenam reddere orationem quòd Iſocrates facit, ſemper enim quòd laudet adjungit.* Ex tex: 40. iterum. *Et hoc quod Gorgias profitebatur nunquam ſibi Orationem defuturam, nam ſi Apellem laudat, Peleum celebrat, deinde Æacum, deinde Jovem.*

3tium. Demonſtrativi generis elegãtiam aptam eſſe ad conſcribendas omnes materias, ſeu in judiciis, ſeu in deliberationibus: imò hiſtoriâ. Ita Ariſtot: ibid: tex: 290. *Demonſtrativi igitur generis oratio maximè idonea eſt ad ſcribendum.* Hoc genus Epidicticum omnibus illis regulis innititur, quas de elocutione tradidimus. Nunc quæ enthe-

entheum Pòéticum ſapiunt, aut ſaltem in ſuſpicionem Pòéſis cadunt, proſequamur dicendi genera; imum Pòétarum adita penetrando, demum, indiverſorum ab hic dictis panegyriſtarū, penetralia deſcendendo.

Sectio 79.

Quædam univerſim de Pòéſi proponuntur.

ILla dixit Fauſtinus illico in oculos irrumpit antrum Apollinis, horridum rupe, ſed maximè circumpoſitîs arboribûs umbraq; reverentiam loci, ipſe conciliabat umbrarum receſſus. Tum *Fauſtinus* cæteris domicilium ſvave & ſalubre, palatia; Pòétis luci, nemora: & quo beatiora fluunt tempora, eò magis magnifica cæteri conſtruunt auguſtalia: at [ut ita dicam) aureum ſæculum, vatum choros, in ſylvarum ducit receſſus. Hoc Maternus Pòéta apud Quinctilianum in dialogo contra Aprum teſtatur.

Nemo-

Nemora verò & luci & secretum ipsum, quod Aper increpabat. Tantam mihi afferunt voluptatem ut inter præcipuos carminũ fructus numerem, quod nec in strepitu, nec sedente ad ostium litigatore, nec in sordes ac lacrimas reorum componantur: sed secedit animus in loca pura atq; innocentia, fruiturq; sacrîs sedibûs. Hæc eloquentiæ primordia, hæc penetralia, hoc primum habitu, cultuq;, commoda mortalibus, in illa casta & nullîs contacta vitiîs pectora influxit: sic oracula loquebantur, nam lucrosæ hujus & sangvinantis eloquentiæ usus recens, & malis moribus natus, atq; ùt tu dicebas Aper in locum teli, repertus. Cæterum felix illud, & ut more nostro loquar, aureum sæcuculum, & Oratorum & criminum inops, Pöëtis & vatibus abundat, qui bene facta canerent, non qui malè admissa defenderent, nec illis aut gloria major aut augustior honor primum apud Deos, quorum proferre responsa, & interesse epulis ferebantur: deinde apud illos, Diîs genitos, sacrosq; reges, inter quos neminẽ causidicorum, sed Orphea, ac

ac Linum, ac, si introspicere altiùs velis, ipsum Apollinem accepimus. Vel si hæc fabulosa nimis non minorem honorem Homero, quàm Demosthenj fuisse apud posteros &c. Aureum itaq; sæculum illud est, quô Pòétæ nascuntur. Hoc dixerat Faustinus, dum jam prope Apollinis antrum, sermo ambos detulerat. Ecce autem occurit adolescens notus Luisius, aliquidq; ex libro submurmurat, forsitan mella Platonis lecturus, tantò gratior, quantò nobilitatem generis, literîs augere studuerit. Erat illi splendor oculorum vibrantior, frons plana, & à rugis aliena Schoto (quoniam sic vocat) *filati* id est eximii index ingenii Mentum non tam pingvis humor, quã primigenia caro tornabat, Aristoteli pulchræ memoriæ argumentũ: omnia in illo à natura ad literas comparata; maximè cùm ingenii dotibus, puri mores accesserunt. Non enim reverentiam aliis obligatam temeritas, non svavitatẽ vocis, educationis obscuritas,

aut

aut ſinceritatem calliditas vitiaverat. pudor ingenuus, ſermo cautus non tamen taciturnus. Huic nec nimia parentum, pædagogorumq; indulgentia maturitatem abſtulit, nec ſeveritas ſtuporem indidit, non ad ſævitiam flagellorum, non ad tonitrua verborum, ſed ad nictum oculi, ſermones, jocos, olympia quoq; juventutis componebat: definita tempora, non ſtudiis, non templis, non diligentiæ unquam ſubtraxerat; ſi hic Platoni occurriſſet juvenis in ſuo Theæteno magnum ingenium, cũ eximia temperantia copulatum miraretur minimè. Tum *Jovita* quid murmuras Luiſi, *Luiſius* hodie murmuro, ne cras fulminet: ac Homerum ceu caſſidem impono capiti, ne ictus qui cadit deſuper, feriat vehementiùs. Erant autem in Homero Deorum in cælo ſimultates ac diſſidium prope civile depictum ſequenti carmine.

Contra

Contra Neptunum flavus confligit Apollo.
Tela tenẽs pennata, manu cũ Pallade mavors
Congreditur, jacit arcitenens Diana sagittas
Junonem contra, pedibus talaria gestans
Latonẽ aggreditur, sumptis Cyllenius armis
Parte alia ignipotẽs magno cũ fulmine pugnat
Mulciber ætherei, Xanthũ quod nomine dicũt
Cælicolæ &c: &c. (bellum)

Hæc Luisius memoriter recitavit & Deorum civile, mille irrisit cachinnis.

Sectio 80.

De Pòési Ligata.

FAustinus. Humanioribus scientiis inscritur prima Pòésis ligata; cujus species sunt, Epica, Comica, Tragica, Melica Epigrammatica: *altera libera.* Hæc quidem à multis rerum ignaris, nunc vexatur; illa verò antea, multos hostes nacta est: inter quos Plato; hic lituum nonnisi cognitionis naturalis eruditus inflare, omnes cæteras disciplinas, ac maximè cytharam contempsit

tempsit Apollinis. Ausus est enim edicere, ab iis, qui compotes animi sunt, pòëticas fores frustra pulsari. Et idem in primo de Repub: distinctè, apertèque pronuntiat, ea quæ de quatuor inferorũ fluminibus, deque Rhadamanto & Æaco vulgaverunt pòëtæ, deliramenta somniantium, atque aniles fabulas esse; quamvis in Phædone verissima hæc esse sanctè ac probè juraverit. Jta extra suam messem mittenti falcem, quidpiam offendiculô est. Legas plures qui furere pòëtas edisserant, sed omittamus illos obtrectatores; nos in instituto persistamus.

Sectio 81.

De Pòësi Epica Ligata.

COmicorum erat in theatra novos, ac novos semper è cælis, inferis, evocare Deos, seu illi sancti, & casti seu scelesti & impudentes fuerint. At Epici pòëtæ ad suam eruditionem investi-

vestiendam, seu illorum ingeniô, seu temeritate [nihil hìc nostri refert] utuntur. Primùm equidem ad principes Epicorum Pòëtas Homerum & Virgilium descendo, de cæteris par, nec dissimile, esto judicium.

Duos ego hìc errores video, *imus* eòrum, qui mera figmenta his inesse putabant, alter horum qui historiam Homeri, rei conformē contendebant: hos inter Aristarchus erat, qui mille commentarios reliquit, quodlibetq; Homericum carmen seriò inspexerit, ac enùclearit. Hic negat disertè, aliud à dictis intelligi oportere. Stesichorus quoq;, qui verum Helenæ raptum asseverantiùs perhibebat.

Mihi cæterum cùm optimis censendum est: Pòëtarùm pòëmata non vanîs figmentis constare; in illis enim, Ægyptiæ illius sapientiæ, typus est, cujus causâ Plato, aliquot annîs peragravit Ægyptum, Homerus multum studiorum impendit. Virgilius verò teste

Ho-

Honoratô Serviô, plurima ex altissima Ægyptiorum Theologorumq; scientia edixerit, imò totam Philosophiam iisdem Pöëtarum comentationibus inclûsam esse arbitremur. Præbet fidem liber. 2. Cic. de Natura Deorum. *alia quoq; ex ratione, & quidem physica, magna flûxit multitudo Deorum, qui induti specie humana, fabulas Pöëtis suppeditaverunt, hominum autem vitam omni superstitione referserunt.* Et infra. *Physica ratio non inelegans inclusa est in impias fabulas.* Hæc Deorum nomina, Chrysippus vaferrimus Stoicorū somniorū interpres, imò tota, Zenonis parētis Stoicæ commentationis, Philosophia, persequitur; nihil in illis nisi res mundi inesse demonstrans, longoq; ordine fascias fabularum Homeri, quem Stoicū fuisse perhibet, evolvens, jam per *Jovem* æthera igneum ac supremum, per *Junonem* aera inter æthera & maria positum, per *Saturnum* stellam, quæ magnum annum Mathematicis sic dictū,

con-

conficiens; 30. annorum curſu ſaturaretur, per *Neptunum* mare, per *Ditem* terram interpretatus eſt. Nullaq; ferè fabula in Pòëtis ſuſpicitur, quam ſtoici, ad mundi explicationem non pertraxerint. Utar hic verbis Gallutii Orat: de Allegoria Virgilii: *Spiſſum opus, atq; infiniti prope laboris eſt, cætera in hoc ipſo genere perſequi, quod tractamus: in ſumma quidquid aut in natura contemplati cogitatione ſunt, aut in moribus ſalutari documento ac lege præſcripſere Philoſophi, id compertū habetote, & vidiſſe Pòëtas, & hominum generi factîs fabulis quaſi mollioribûs quibuſdam præceptis expoſuiſſe.* Ergo naturalis cognitio rerum, virtutum ac morum, eſt propria pòëtarum materia, ſed elocutio illorum diſpar Philoſophico ac Oratorio ſermoni. Allegoria enim & quidem ſuboſcura eſt illorum character. Nam ſi teſte Mureto Græciæ ſapientes ne in vulgus promanaret eorum ſapientia, variîs figuris, ænigmatibusq; eam obvelarunt, quantò id magis

Pòëtas

Pòëtas decet? si non in omnibus saltem in epico pòëmate? Unde fuit error ut dixi tum aliorum, tum maximè Stesichori, & Aristarchi, verbis Jliadis ac superficiali literaliq; sermoni, aliquod verum inesse putantis, cum nulla parens Achillem genuerit, nulla terra ejusdem victorias senserit. In quo de *Virgilio* multorum par sensus est quasi illum Æneam cantasset, qui aliquando Orbi felici partu editus est. Est ergo Achilles, & Æneas par imago, ducis, ac herois optimi, nullis fortunæ vicibus, belli laboribus, pugnandi difficultate, inimicorum ceu Deorum potentiâ fracti, ac in Æsopi fabulis, varia animantia, humanæ vitæ, in sacerrimis nostræ religionis monumentis, epulo, divitis, idea; adeo, ut censendum sit, insignem veritatem, fictionis fasciis involutam, in illis esse Pòëtarum scriptis. Nam si mera hæc & inutilia figmenta fuissent, nullaq; in illis salutaris doctrina inesset, Alexan-

der Macedo, nunquam ſuo capiti dormiens, ſuppoſuiſſet, lectitaſſet ſeriùs nunquam Homerum, niſi ibidem optimi ducis munus, pictum, coloratumq; ſuſpexiſſet. Nec Virgilius Octavio Auguſto. tam gratus & colendus, niſi idem Principis ideam bello & pace inſignis, propoſuiſſet. Epopæjam certè, ideſt ſcientiam epici, ſive heroici pòëmatis nunquam libris politicorum adjeciſſet Ariſtoteles, niſi ad gubernandum imperia multùm pòëmata contuliſſent.

Quid ultra de Homero cenſeam, à quo Cicero plures Deos è cælo evocari avebat, quàm nummos è ſacculis (popularis enim liber fuerat & qui ſapientiæ exiſtimationem ſibi conciliabat, hunc habere debuit) quot ille fabulas inſeruit non modò opinionem omnem prætervolantes, verùm riſu digniſſimas? attamen ab omni contemptu vindicat hunc Ariſtoteles, cũ ſex libris obſcuriores Homeri locos

illustrarit. Vindicat Anaxagoras Clazomenius, qui saluberrimam Philosophiam in illo, veluti sapientiæ breviario relegebat. Vindicat ipse Plato, hostis alioquin humanioris literaturæ, qui in libro de summo bono reliquit in Homero contineri Divinã omnẽ, humanamq; Philosophiam & ut cæteros omittam, Zeno, Chrysippus, Heraclitus, imò, & Christiani gravissimi Doctores, sanctissimiq;, epicum Homeri pöëma *splendidum Philosophiæ ludum & virtutis officinam* existimarunt. Unde historicus certas certorum hominum actiones, ita generalia atq; communia persequitur pöëta ait Gallutius.

Cum enim Agamemnonem auditis abducta Briseide castra pene Græcorum inimicitiîs & discordiis evertisse, nolite credere hunc Agamemnonem esse, sed hominum inflammatam libidinem universè cujus explendæ causâ, nihil ab iis moderati, nihil pensi ducitur: ipsi etiam produntur ad certũ

exitium cives. Cùm legitis Achillem obstinatô ad otium animô expeditionem illam Græcorum, & Patriæ victoriam retardare, illud exploratum habetote, non eum Achillem esse, sed generatim irâ furentem hominis animum, injuriæq; ulciscendæ cupiditate præcipitem, atq; impotentem. Cum Ulissem deligatum ad malum, syrenum scopulos impune prætereuntem, admiramini non eum vos Ulissem existimare debetis, sed hominis consilium, & suis perfectam numeris sapientiam, quæ voluptatum irritamenta negligit, quæ periculis exposita, juventutis brevia, syrtesq; declinat, quæ rectæ rationis malum & gubernaculum tenet.

Quod autem de Homero exhibuimus, idem de Virgilio tenendum est, maximè cùm pro omnibus unus sufficeret Augustinus, non solum benevivendi sed & benedicendi optimus magister, qui amplissimè testatur Virgilium Platonicè philosophari & sententiam Platonis explicare versibûs luculentîs. Cui Donatus S. Hieronymi

pro-

professor, suffragatur, cum regulam vitæ Patribus, filiis, conjugibus, viris, militibus, imperatoribus, civibus educit sigillatim è Marone. Jam Honoratus Servius perhibet Virgilium, suam artem, ex altissima Ægyptiorũ scientia traxisse. Qui cum tantam laudem ab inventione ducat, non minorem ab eloquentia sibi æstimationem hominum elicuit. Ita enim Gallut. Orat: 4. num: 141. *Inveni apud Macrobium authores minimè pœnitendos, qui eloquentiâ dicendiq; artificio Ciceroni Virgilium anteponant quàm justis de caussis, non dico, anteponunt tamen. Faciunt enim eloquentiam quadripartitam: copiosam in qua Cicero licenter excurrat, brevem in qua Salustius. Siccam quæ Frontoni cùm viveret adscriberetur, pingvem ac floridam in qua Plinius junior ac Symmachus molliter & delicatè luxurient, in tanto scriptorum numero unum extitisse Virgilium ajunt, qui oloquentiam ex omni genere dicendi conflaverit, qui gravia cum*

acutis, acuta cum gravibus inflexa, cum utrisq; componens admirabilem orationem confecerat. Quam inveniendi eloquēdiq́, Maronis dotem expressit apud Stradam Andreas Naugerius Pòéta, quadrigâ per forum Romanū vectus, suîsq; manibus quo vellet impellens equos: cum alii Statium, Ovidium, Claudianum exhibentes, pro varietate apparatùs Pòétici, variis equis insiderent, cultuq; exotico ornarentur.

Jovita. Satis percepi Homerico ac Virgiliano pòémate, eorumq́; fabulis perunctam esse Philosophiam rerumq́; naturalem cognitionem. At quânā felicitate ingenii, bellum hoc Deorum, quod Luisius in nostris reliquit auribus, ad naturæ speculationem ducitur, planè ignoro.

Faustinus. Physicæ hic párs non immodica, fabularum velo contegitur: quod ex Gallutii edicto, orat: de Al-leg: Virg: relegas: Ita enim: *Quid enim causæ esse putas.* [inquit ille) *cur*

Apolli-

Apollinem igneum illum, & radios vibrantem Deum, cum Neptuno maris, & aquarum, quæ ab illo nascuntur, omnium præside, congredientem faciat? nisi quia calidum & siccum elementum humido ac frigido qualis aqua est, aquarumq; moderator Neptunus adversatur? Cur Junoni, aeris Dominæ, Dianam quæ tunc luna etiam dicitur, opponitur in prelio? nisi quia flabilis & spirabilis aer à luna quæ in subjecta & supposita omnia non tam dictionẽ, quàm maleficium exercet, agitatur semper, ac promovetur. Cur Vulcanus Scamandrum sive Xanthum illum nobilem Trojæ Fluvium, bellô premit ac sequitur? nisi quia fervens & maximè calidus ignis, quem habet in potestate Vulcanus, humidis, ac frigidis rebus, ut de Apolline dicebantur inîmicus. Sed in ea pugnantium Deorum congressione, illud mihi mirandum eximiè videri solet, quod quem discordias componentem, atq́, adeo authoritate ac majestate bellum inhibentem esse oporteret ejus pugnæ, cum animi oblectamento specta-

torem

torem & digladiatione illa gaudentem, Deorum omnium principem ac dominum, Homerus facit & constituit Jovem. Quantum enim assequi cogitatione possum id significare videtur. quod nec à viro docto, nec à recta religione abhorret elementorum pugna, & quæ ab elementis ita pugnantibus existit, omnium procreatione rerum despicientem è cælo universitatis molitorem, atq; opificem DEUM summopere delectari.

Sectio 82.

De secunda specie Epici ligati pòëmatis.

HOc ex Homeri Virgiliiq; artificio multa surrexere volumina, quæ non fictum Achillem vel Ænèám sed probos certosq; viros Reipub: auxiliatores, ornamenta regnorum, versibus inornarunt, additîs multîs fictionibûs ad veritatem gestorum adumbrandam. In his ego unam indolem Homerici Maronianiq; pòëmatis suspicio,

ſpicio, ut dum certum ducem aut hominem fortunatum liberalitate, ſapientiâ, cæteriſq; optimîs naturæ vel virtutis muneribus præditum, ad cytharam canunt Apollinis, minimè attendatur, quid ille dux, aut quicunq; homo, fecerit illuſtrè, ſed quid venerandum, quid religioſum feciſſe debuerat, adeo, ut ſicut Achilles & Æneas ſapientiſſimorum Imperatorum idæa perfectiſſima, Philoſophiâ morali politicâq; imbuta eſt: ſic & illi certi veri viviq; Duces, fortunati, ac liberales ita metrô depinguntur: ut illorum acta ad imitationem reliquorum proferri poſſint. Nam ſi hiſtorici eſt rerum amiſſarum memoriâ, poſteritatis vitam gubernare, ac prudentiam, ut Strada libro 1mo prolus 2. quantò magis id decet pòëtam? cui licenter excurrere in laudes & elogiá permiſſum eſt? igitur quemcunq; extollit carmen non mediocri virtute, ſed ſuprema ſubnixũ extollit, aut facit.

Tuq;

Tuq; in viro N. ſic laudando non hunc ſed quemcunq; perfectiſſimũ quærito-

Sectio 83.

De tertia pòéſis ligatæ ſpecie ideſt epigrammatis.

TErtia pòéſis ſpecies includit epigrammata, quorum ſpecialis fortuna eſt ultra cætera, acumen, quo vel figat vitia vel guſtum virtutis in laude acuat aliena, aut exhilaret. Quid illa ſint, exempla Martialis, cæterorumq; exhibent evidentiùs.

Jovita Epigrammata hæc preſertim hoc ſæculo noſtro lucubrata, quibus Fauſtine modicum oris conceſſiſti, nimis à virtute pòética abeſſe videntur. Quoties enim laudibus aliorum faſces ac ſtemmata vates obambulant, curſu ut tu ſcis carminum breviore, toties in allegoriunculas proſiliunt, quas Sadoletus apud Stradam aut verius Strada So: Jesu ut verecũdè

ac

ac timidè diceret, ore Sadoleti expunxit libro 2. prolus. 5. ait enim. *Hæc verò Pöétæ quamvis in nostros carminum buccinatores, quotidie ludamus fere omnes, non tamen huic malo ac decet medicinam facimus. Serpit in dies magis magisq; hæc affecti corporis prurigo: Nec quidquàm jam modi pudorisvè superest in hac arte, quàm adeò verecundè castèq; veluti rem sacram, attigerunt majores nostri, quib9 quò cordis plus erat, eò erat & oris minus. Nam quæ est hæc hodie confidentia? an tu tibi pöéticam mercem ita conduxisti, ut illam arbitratu tuo contrectes, permutes, dilapides? Cædibus gladium pasci dixerunt veteres, quasi magnum quid ausi: tu id legis scilicet, haud sine nausea: nec bene de pöési meritus videris, nisi gladio & dentes, & stomachum superaddas. Noctem Oceani terræq; partum, nominasse veteribus haud parum fuit: quanto ipse liberaliùs partum hunc alis & foves; dum zonis fasciisq; cælestibus involvis, nocturno rore lactas, Lunæ curvaturâ (cunas*

tu

tu vocas] jacentem excipis, eiq; postremò somnum agitatione cælestium orbium signorumq; crepundiis blandè concilias? Sol mundi mensor dictum est perantiquum: ingeniosius jam videtur si plusculum audeas. eumq; appelles perpetuum cœli tabellarium' pistorem lucis, umbrarum carnificē, arvorum cælestium aratorem quod si publicum mundi laternarium vocares, lepidiùs adhuc id circo foret, quod in occasu lampada percommodè aquîs extingveret. Ita nè verò? in Pöétæ nomen invadere se seriò putant, qui hæc dicunt, an potius deridiculi gratiâ pueris ludos faciunt, & caudam a tergo volentes trahunt? nam quid est aliud obsecro ineptire, quàm ætatem ingeniumq; inanibûs hîsce nugarum commentîs terere, iisq; deliramentis [quo enim præterea nomine apellem nescio) dignitatem majestatemq; pöésèós æstimare? Sed hæc in ea parte disputationis meæ seposueram ad extremùm. Post aliquot sensus ita idem adhortatur pöétas. *Nolite per Deum immortalem pöétæ, inge-*

nium

nium vestrum ad omnia summa natum, tam prava imitatione corrumpere. Corrumpitis mihi credite, dum aut pöësim siccè aut minutim complexi, illius copiam & flumen, angusta quasi per incilia & colliquias immittitis, atq; extenuatam in rivulos dispertitis: planeq; disperditis: aut impetu delato non satis habetis, plenô alveô purôq;, ferri, nisi extra ripas turbidi ac minaces, omnia latè loca teneatis. Cum tamen Pöësis nolit vel suis aquis orbata, minore gloria, vel turbata alienis torrentibus majore odio fluere. Ecquam rogo æternitatem carminibus vestris polliceri potest hæc orationis sive siccitas se ipsam exedens, planeq; conficiens, sive tumor momento enascens, momento evanescens? Nimirum quemadmodum in Lusitania ad Oceanum, ut est apud Varronem equarum nonnullæ vento concipiunt admissario, atq; intumescunt, sed ex his qui nascuntur pulli, non plus triennium vivunt, ita hæc subitaria ventosaq; carmina, quæ à parentibus inanitate tumidis extemplo emittuntur,

brevis

brevis omnino vitæ sunt faciléq; difflantur ac celeriter evanescunt. Quibus ego eximiis in verbis, duo video alterum extemporalitatem carminum afflictã, quæ tumoris sæpe parens est: alterũ translationes audaces atq; inverecundas & novas proscriptas, quæ cum in lusus epigrammatum frequentissimè irrepant, has reiiciendas à Pöëtis putarem.

Faustinus. Subitariam dictionem nunquã amaverim nisi necessitas imminens exigeret. Nam incoctum crudumq; metrum quandoq; creat ipsi arti pericula. Miremur itaq; celeritatem ingenii, sed eandem velocitatem diuturnô usu ac labore approbatam miremur magis. Jã ut translationes illas fugiat quæ invitæ, prope in stylũ trahuntur: optima nota boni pôëtæ est. Attamen easdem difficile declinare pöëtis, qui omnem ornatum consectantur. Nam ut *historicum* [teste Sadoleto apud Stradam lib: 2. plolus:

n. 327.

n. 327) *in locorum factorumq; narratione properantem, castigata decet oratio & circumcisa, non compta nimis & otiosè circumducta. Oratori qui in senatu sententiam dicat, aut concionis animos regat altiùs exagerata pauloq; uberior quærenda est dictio. Sic Poëta theatro ac voluptati serviens personatis quodammodo verbis opus habet, meritoq; lepores venustatesq; consectatur omnes, nec ullam omittit pompam pulcherrimæ Orationis.* Jam verò ibidem num. 330. *acumina sententiarum quibus in hoc genere complures ingenium probant suum, dicamne hominum vitia, an temporum? ad insulam parum salubrem cum appulisset olim Seneca, cæpissetq; febricula tentari; morbum loci dixit esse non hominis. Ita cadit in rem nostram. Tempus plerumq; stylum format atq; in orationem facilè immigrant mores.*

At mihi ita concludendum est: allegoriunculæ istæ, quas attulisti, ideo à Sadoleto seu veriùs Strada castigantur, quia leves sunt nimiumq; pueriles,

non

non viris sed juvenibus magis congruæ Viro enim pòétæ illa famulatur, quamvis duriùs translata sit, quæ non qualemcunq; lusum, sed illum splendidum ac quadam gravitate conspicuum præferet. Addamus insuper eosdem jocos Allegoricos, à Pòési epica heroicaq; rejectos, in quibus gravia omnia, ac sancta, morum probationes religiosæ, convenire debent, non ab epigrammatis exclusos, quæ lusibus verborum ciendis leporiq; sunt prognata. Cumq; hi lusus suâ naturâ satietatem creent, ideo ex mente Pòétarum non plùs, quàm ad duodecim ascendunt carmina. Sicut & elogia in immane non distenduntur ab Oratoribus, quia facile sua nimia jucunditate nauseam cient [quemadmodum id uberrimè diximus supra de luminibus Oratoriis Sect: 61)& præterea modum excedunt. At forsitan nimis hæc amplè de Pòési diximus, sed non extra institutum. Cum enim oratores castigantur hujus

sæculi

ſæculi malignitate, quæ intemperies pòétas manet? aut ſi pòéſis adverſus inimica præmunitur, hic, quantulumcunq; prælia? Oratorum facundiam, à contumelia pronum eſt vindicari. Conſultò hæc præmiſimus, ut naturam ſolutæ pòéſis evidentiùs expendamus. Cujus ego quatuor adorno ſpecies. 1ma quæ fingit perſonas & actiones bonas vel malas. 2da quæ veris perſonis aliquas dotes fictè contribuit. 3*tia* quæ imaginationem aliquam veræ adjungit cauſæ. 4*ta* quæ epigrammata æmulatur acumine.

Sectio 84.

De Imitatione Homeri ac Virgilii pura in ſtylo ſoluto.

HÆc eſt cum & perſona ab Oratore fingitur & virtutes ad informanda virtutibûs mortalium pectora. Talis eſt Firmiani Soc: JESU Gyges Gallus, Guſmanus Gaſparis Ens: Utopiæ, Bidermani; & reliqua infinita pro-

pe opuſcula, non modò Latino idiomate, verùm maximè Italico & Gallico in lucem publicam enixa.

Sectio 85.

De Imitatione Homeri ac Virgilii perſonas non fingente ſed affingente aliquas virtutes.

HÆc imitatio illa eſt quæ ita certam aliquam definitamq; veri Regis, Ducis, Palatini, nobilis perſonam oratione à numeris pòëtarum liberâ ornat ac ejus laudes contexit, ut minùs ad ea quæ fecit, providentiam ſuam declinet orator, ſed potiùs perfectiones Regis, Ducis, Palatini, occaſione aliqua geſtorum vel officii propoſita in illa perſona exponat. Quod tum ex multis, tum ex Xenophontis hiſtoriâ vitam Cyri evigilantis, luculenter patet, qui hunc regem, quem Plato de legibus dicit aut mediocri literaturâ aut nullâ tinctum, ſenſit literîs perbene ac diſciplinis, *imbutum neſcio quâ*

motus conjecturâ proposuit, ne(ut ait Strada lib: 1. Prolu: 3. num: 80.) *in Rege quē Regum exemplar esse voluit, principem contempsisse partem, non sine legentium detrimento videretur.* Unde hi Oratores quāvis ex Philosophiæ umbraculis, lucem suæ dictionis promunt, Pòëticum tamen aliquid spirant [si pòëtarum solùm est fingere] quod aut aliquas virtutes affingant: aut easdem in summæ perfectionis apicem attollant, cū, quadam solùm earum mediocritate, aut non nisi quibûsdam lineamentis persona laudata commendata est. Eum sensum de Panegyristis antiquitus fuisse Vossius commemorat, quòd illi non tam eas personas exscribant elogiîs, quales fuerint, sed quales esse debuerint. Si quis autem ab hoc soluti pòëtæ nomine, longè stare voluerit, legat Neronis laudes à Cardano emissas, in quibus mira ingenii felicitate, laudem ex ipsis vitiis elicit, illamq; non ambiguam, sed quæ indignationi hominum

ſatisfaciat, ac leniat aſperitatem crudeliſſimi Tyranni ab omnibus præconceptam. Ad hanc ſpeciem referri poſſunt exactè plures orationes crytices Authoris (ſi ſolas duntaxat excipias, quæ in loco communi & theſi verſantur) Unde orationes illæ ſalutatoriæ Ducis, gratulatoriæ, & reliquæ officioſæ, quæ minus perſonæ ſalutatæ explorarunt, vitam, virtutem, circumſtantias, meritò ad Pòéſim hanc Homerianam reiiciendæ ſunt: aut Xenophontis entheo ac imaginatione deprompt æ dicantur.

Sectio 86.

De fictione in ſoluta laude.

Pòéſis miſta ſtylo Oratorio quandoq; inter Oratorum monumenta errat ac irrumpit in illa dum germanæ laudi ac ab omni ſuſpicione falſi alienæ imaginatio quædam inducitur Pòética. Quæ iniquitas à majoribus cæpta eſt, nam & de Coriolano Romano & de

Themistocle in Græcia scriptum audivimus: quod ille pulsus è patria ad hostes commeavit & sic vindictam sumpsit; & de Themistocle fictum excepimus ab illo in hostia libatum paterâ sangvinem, mortis occasionē sibi præbuisse; de quo ita Atticus apud Ciceronem de claris orat: *Quoniam concessum est Rhetoribus ementiri* (id est fingere) *in historiis, ut aliquid dicere possint argutiùs, ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus sic Stratocles de Themistocle finxit. Nam quem Thucidides, qui & Atheniensis erat, & summo loco natus, summusq; vir, & paulò ætate posterior, tantum mortuum scripsit, & in Attica clam humatum, addidit fuisse suspicionem, venenô sibi conscivisse mortem, hunc isti ajunt cum taurum immolavisset, excepisse sangvinem paterâ, & eô potô mortuum concidisse. Hanc enim mortem Rhetoricè & tragicè ornare potuerunt; illa mors vulgaris nullam præbebat materiam ad ornatum.* Hanc Panegyristarum consvetudinem, nequaquam ausus est,

temerare Atticus at verius Cicero; infra enim addit: quod de Themiſtocle excogitatum, idem Coriolano poſſe attribui: ita enim: *Pateram quoq; à me ſumas licet, præbeo etiam hoſtiam, ut Coriolanus plane ſit alter Themiſtocles.*

At quoniam amplior materia nobis occurrit ut 4tam ſpeciem Oratorum, aut ſolutorum Pòëtarum proſequamur, quæ epigrammatis non abſimilis eſſe videtur quæq; ex eodem libatur fonte, ideo pauca hac de re perſtringamus.



COLLOQUIUM II.

De ſtylo arguto.

SECTIO 87.

Quid ſit Stylus argutus & cur dicitur Pòëſis libera.

STylus argutus ſeu ſubtilis maximè fluit, per ſenſus adjunctorum combinatio-

binationibus imbutos, multaq́ feſtivitate dicendi perfuſus; quam Maſſenij liber de argutiis aperit, recluditq́ omnes leporis fontes: & Ariſtoteles in Pòéſi ubi tractat de ridiculis excitandis. Hic ſtylus videtur reſpondere, epigrammatis ligatis: quodq́ ingenium Pòétæ vinculis pedum committunt, hoc Oratores, ſoluta oratione complectuntur. Non tamen à Pòétarum epigrammatis promanat faceta hæc liberaq́ dictio; ſed potiùs ligatæ feſtivitates ab Oratoribus argutis profluxerant; cum non Titius feſtivus Orator, Pòétam Affranium, ſed Affranius Pòéta Titium ut infra videbimus ex Tullio, Secti: 89, imitatus ſit. Unde quãvis ex hoc fonte, arguti Oratores, dicendi ſunt, ſpecialisq́ illis ac disjuncta à ſolidis rerum declamatoribus, Pòéſiq́ Provincia aſſignanda, tamen quia Juglares Societ: JESU, ſuis elogijs de DEO homine, Weiſiusq́ Labbæo, hoc nomen ſolutæ Pòéſis impoſuit; ne tan-

torum

torum virorum judicio detrahatur, libenter ego consentio: reliquis libertatem unà mecum censendi relinquēdo. Horum ego judicium Authorum huc integrè corrivo, ut non modò hujus asserti testimonia proferantur, verùm & natura proprietatesq́ꝫ styli, saltem aliquæ, uberiùs explanentur. Ita autem Juglares, præfatione sua ad lectorem in libro Genuæ primùm deinde Cracoviæ edito 1643. *Coram te reus à præceptis abstineo, moneo tantum pauca, pro causa. Genus hoc scriptionis jam nosti, nostro seu natum seu renatum in sæculo, pleraq́; jam nobilitavit ingenia. Periodos tamen qui quæris & latini medullam sermonis aliam omnem officinam adito. Acutus videri qui vult sæpe latinus esse non potest. Libera Pòësis hæc suis solum propemodum legibus vivit, vel cum Grammaticorum injuria tolerat plerumq́; barbariem. Ornatum omnem ex nitore luminum quærit; quæ vestire voluisse tegere est. Cave ne obsonium hoc panem putes. Genus hoc cibi excitandis*

tandis

tandis ingenijs natum est, non pascendis; nisi cum moderatione sumatur, nimium avidis mentibus nauseam creat. Perpenduntur, hæc non percurruntur; ideo cùm violentiam aliquam legenti inferant à quo non quamcunq; sed omnem attentionem exposcunt diu tolerari non possunt. Farta Laconismis oratio, quia minimum imitatur naturam ut illam exhilarat, primâ illa specie artis, ita paulo post lædit, dum nihil illi obvium exhibet, sed omnia talia ut nisi eruantur, non prodeant. Flores hi sunt: carpuntur per se singuli summîs digitîs non tota immissâ falce, metuntur. Ubi unum aut alterum delibaris elogium ne fastidire alia debeas, novam famem expecta. Hoc Juglaris ad lectorem monitum, Christianus Veifius Præfatione in Patrem Labbe Socie: JESU Anno Xti 1686. jam verò experientiæ suæ Rhetoricæ 16to ita explicat; *Quid sibi velit in ænigmatica hac locutione, tantò faciliùs judicavi, quantò ad istas argutias accessi propiùs; Quod dicit natum genus nostrô sæculo, rectè correctivam addit vocem*

seu

ſeu renatum eſſe. Non enim priſcis ignotæ fuerunt argutiæ ſed argutiarum exceſſus, novitatis quidquam continet. Periodi quas quæri non vult, forte Rhetorum luſus ſpectant, qui Ciceronem inciſis ſuis diſtingvere ſolent. Latini medulla ſermonis ſatyricè accipitur, pro phraſibus à Nizolio collectis, à quarum non analogia, ſed uſu & conſvetudine diſcedit dicendi ſublimitas: dum acutòs negat Latinos eſſe poſſe, pro Latinis intellexit fortè ſolos Ciceronianos; dum tolerandam dicit barbariem, non veram eam & genuinis Grammaticis inviſam approbaverit, ſed feſtivè velut joco rigidos eos cenſores, exagitaverit, qui omnem ſcribendi licentiam, intra priſcorum limites conſtituant, nec ingeniis indulgent, quod ſibi ex antiquis nemo negavit, meditandi & loquendi liberam & peculiarem elegantiam.

Sectio 88.

Quibûs Authoribus argutus ſurrexit ſtylus.

ELogiaris ille ſtylus, ſive per feſtivitatem

tatem leporesq; sermonis tracta oratio ab Archirhetore Romano Ferrario oratione 3. dicitur divinus stylus, quòd acumen brevitasq; sit dos agnata linguæ Hæbraicæ; tota in id probandū expedita, oratio est. Sed aliis præcipuè Weisio dicitur; Jesuitarum Stylus; non quòd hoc solô uteretur Schola Societatis JESU illumq; severiorem ab Encyclopædia promanantem reijceret; nā hujus rei Chronologica tabella Rhetorum supra in prologo proposita, infringit fidem: sed quòd Societas JESU, hunc aut novo erexit, aut ab antiquitate inchoatum perfecerit, polliveritq; quòd ex testimonio ejusdem Zitaviensis Professoris Weisii luculenter percipitur. *Equidem ut veteribus tribuamus hanc scribendi consvetudinem, quam sibi assumpsit Labbeus, nemo persvadebit. Et licet ad extremam argutandi hanc licentiam non perventum est, donec in Jesuitarum Societate prodirent ingenia, quæ cùm perpetuis occuparentur panegyricîs, & elogijs, multæ*

etiam

etiã differerẽt de miraculis stylũ, ad exprimẽdã rerũ magnitudinẽ, provocandamq; aliorum admirationem, præsertim si qui versarentur in Italia & Gallia, (adde in Polonia) quæ nationes vel per indolem suam trahuntur ad argutias.

Hunc tamen honorem cedit Societas Sanctis Patribus, illisq; tàm clari styli defert originem. Cum enim venustissimæ illæ, in iisdem, tum Virginis Beatissimæ, tum cæterorum Divorum laudes ceu quædam stellæ emicuissent, tantô propositô exemplô, nihil ab eloquentiæ regulis exerrare visa, si pulcherrimam Sanctorum Patrum, Ecclesiæq; Doctorum dicendi formam, imitatione consectaretur, si non refragaretur materia: maximè cum rigidior Tullius videretur, ipsisq; judiciorum fulminibus imminere, ad gravesq; materias pertractandas & severiores aptus, quẽ tamen continuâ in omnibus scholis explicatione ad imitationem proponit Societas; tanquam alterum exemplum

plum eloquentiæ præstantissimæ. Si quis enim eadem eloquentiæ probatissima lumina, Doctores Ecclesiæ voco, salubriùs inspexerit, quàm admirandi sunt, quàm arguti, quàm acuti, quàm prodigiosè rerum, personarum, actionum, æquè variarum, ac disjunctarum, adjuncta sibi intertexunt, meritò Societatis hunc stylum approbaret, quem sumptâ à Divinis Oratoribus formâ, in Regum Principum ac Senatorum, qui Dii sunt, summæq; post cælites & patriam juxta Platonem colendi, elogia pertraxit integerrimè. Sed antequam afferamus exempla excludamus illos, qui imitatione styli hujus incitati, dum se consecutos has Societatis argutias, subtilitatem, mirabilemq; ingenij fortunã autumant, inter pretiosa peristromata, inter superbè pendentia aulæa, veriùs moriones quàm Oratores agunt; tot fere nugas afferendo, quot verba deprompserunt: quiq; histrionis lepidè verbîs ludentis officio, frustumq; de

mensa promerentis, non satisfaciunt, jactant turpissimè, hoc è Societatis JESU monumentis aut eorum doctrina hausisse. Quòdq; in scholis Jesuitarũ inter angulos & umbras cachinnis exploditur, hoc illi tanquam singularia sapientiæ arcana, in aulis, in pulpitis, leviter effutient. Utinam autem ad Sanctos Patres accederent, ex eodemq; fonte haurirent argutandi sortem, decoriq; rationem respicerent, certè Societatis ingenijs nõ obtrectarent.

Proponuntur exempla arguti styli charactere Attico seu breviore

PRIMUM EXEMPLUM

Sermo Sancti Augustini in die Apostolorum PETRI & PAULI.

FIlioli mei, audite nos, & liberate vos. Currite pro vobis: & nobis præstatis & vobis. Commune erit nostrum gaudium, si vos viderimus induere Xstum. Juvenes & Virgines, cum junioribus, festinent ad gratiam. Mater nostra pariendo non discernit ætates. Ipsa

Ipſa genuit Petrum, ipſa parturivit & Paulum, ut ex lupo fieret agnus. Tanquam natus eſt Saulus, crevit & factus eſt Paulus. Baptiſatus eſt à Matre; illuminatus à DEO Patre & cæpit velle Petrum videre, & cum quæreret eum velle videre, magis eum Petrus cæpit timere. Audivit enim Petrus, quia quæſivit eum Saulus; noli timere Petre, quia non Saulus te quærit ſed Paulus, vas electionis te cupit videre. O! Sancte Petre benedic Patrem & ſuſcipe fratrē, habes quo potes defendere Matrem. O! Sancte Petre, quia converſus eſt Saulus miraris qualis eſt tu, erit & ipſe talis, & unus erit vobis natalis, Qui ipſum fecit ex Saulo Paulum, ipſe te fecit ex Simone Petrum. Unus vos honoravit, unus vos coronavit, mutavit perſecutorem, mutavit & piſcatorem. Et ſi te priorem, tamen ambos uno donavit honore. Veni Sancte Paule, Sequere Sanctum Petrum, ſed docentē, non fugientem. Fugiebat, quando te neſciebat. *Et infra de hoc verbo Xti. Ego ſûm JESUS Nazarenus.* Caput de Cælo pro membris clamat. Inquietatur corpus, & de cælo intonat Xtus. *Saule Saule cur me perſequeris.* Quid eſt quòd rugiente Paulo, mugit arcanum? & contra ſævitiam Pauli, militia conqueritur Cæli? niſi, ut qui non crediderat

derat resurgenti, saltem crederet in Cælo sedenti. *Et de timente Anania.* O! Anania merito in timore trepidares, si forti manu non esset, cui militares. Ideo prosternitur superbia, ut erigatur sanctitas. Venit ergo Ananias, baptisavit Saulum, & fecit Paulum, baptisavit lupum, & fecit agnum. Et cæpimus prædicatorem, quem habuimus persecutorem. Deniq; cæpit prædicare Xtum, cui antea resistebat. Postea paratus pati pro eo, contra quem anteà propugnavit. Patitur Paulus, quòd fecerat Saulus. Saulus lapidavit, Paulus lapidatus est, Saulus Christianos virgis affecit, Paulus pro Xto quinquies quadragenas unà minùs accepit. Saulus persecutus est Ecclesiam DEI, Paulus submissus est in sporta. Saulus vinxit, Paulus vinctus est. Et dum Saulus sæviens quærit minuere numerum Christianorum, etiã accessit ad numerum Confessorum: & dum infert aliis necem, suscepit ipse pro eo mortem. Dum intrat lupus rapax ad stabula pecudis, subito factus est & ipse ovis &c.

Secundum Exemplum

Elogiaris hujus styli ex Sancto Augustino in die Apostolorum Petri & Pauli, ubi hic Doctor egregiam combinationem instituit

horum

horum trium. Primò, quòd dicatur à Chriſto petra. 2dam, quòd claudum ſanaverit. 3tiam, quòd dicatur à Chriſto S. Paulus vas electionis: jam verba Auguſtini ſequuntur.

Primum ergo ſignum mirabilium ſuorum, Petrus fecit, claudo pedum reſtituendo veſtigia. Diximus frequenter, ipſum Petrum à Domino petram nuncupatum. Si ergo Petrus petra eſt, ſupra quam ædificatur Eccleſia, rectè priùs pedes ſanat; ut ſicut in Eccleſia, fidei fundamentum continet, ità & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè inquã primùm, in Chriſtiano pedes curat, ut jam non trepidus nec imbecillis poſſit, ſupra petram Eccleſiæ, ſed robuſtus & fortis incedere. Paulus à domino vas electionis nominatur. Bonum vas, quô pretioſa mandatorum præcepta Xti, conduntur. Bonum vas, de cujus plenitudine, ſubſtantia vitæ populis erogatur, & plenum eſt. Optima Apoſtolorum nomina, petra & vas, neceſſaria domui Salvatoris. Domꝰ enim petrarum plenitudine conſtruitur, utilitate vaſis ornatur. Petra ad firmitatem, ne labantur, ſuſtentat populos: uas ad cuſtodiam nè tententur operit Chriſtianos, *& infra ut Sancto Paulo cui lac fluxit è collo; ita Auguſtinus:*

Mirum in modum, Sanctus Apoſtolus baptiſmi gratiâ, in ipſa cæde ſplendidus extitit, potiùs quàm cruentus, quæ quidem res in Sancto Paulo ſtupenda non eſt. Quid enim mirum, ſi abundat lacte nutritor Eccleſiæ? Hæc eſt planè promiſſionis illa terra, quam Patribus noſtris DEUS promiſit. Ecquæ enim Pauli epiſtola non melle dulcior, non lacte candidior, quæ epiſtolæ tanquam ubera Eccleſiæ, populos enutriunt ad ſalutem &c. Legimus in ipſo quia caro, ſangvis regnum DEI non poſſidebunt: igitur Paulus poſſidet regnum, quoniam caret ſangvine, qui impedire dicitur regnaturum. Adhuc ergo Paulus in terris poſitus, in regni cæleſtis ſubſtantiam transformatur.

Tertium Exemplum.

Ex Sancto Hieronymo qui nè Ciceroni inſiſteret divina poſthabita eloquentiâ acerrimè ab Angelis flagellatus eſt: ita ille ſermone de Aſſumpt: B. V. M. quem ad preces Paulæ & Euſtochij evigilaverat: verba Divi Hieronymi ſupra verba: Gratia plen: &c.

Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus ut eſſet gratiâ plena quæ dedit cælis gloriam, terris DEUM pacemq; refudit: fidem genti-

gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Et benè Angelus ad Virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas. Profectò in carne, præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cælestis. Unde in carne vitam Angelicam acquirere, majus est meritum, quàm habere. Esse Angelum felicitatis est. Esse vero Virginem virtutis. Dum hoc obtinetur viribûs, nititur Virgo cũ gratiâ quod habet Angelus cum natura. Utrumq; tamen esse Virginem vel Angelum Divini muneris est officium, non humani &c.

Quartum Exemplum.

Arguti styli ex sermone 253. de tempore Sancti Augustini de Ecclesiarum dedicatione.

Rectè festa Ecclesiæ colunt, qui Ecclesiæ filios recognoscunt. Hæc enim omnium credentium Mater est, quæ natos ad mortem, regenerat ad salutem. Hæc est post Synagogã quidem vocata, sed ante Synagogam promissa. Hæc jam in primo homine præfigurata ex Adæ latere fabricata est Eva, ex Christi corpore & vulnere redempta crevit Ecclesia. Hæc intra arcam diluvio exundante servata, crucis beneficium & Baptismatis mysterium præsignavit.

Hanc Sara ſterilis & deſperata, in ſenectute unius pignore fæcundata, præcinuit. Eccleſia enim unicum, id eſt lectiſſimum DEO populum ſæculo ſeneſcente progenuit. *Demum Sanctus Auguſtinus deſcendit ad Reginam Auſtri, quã admirandè toto ſermone cum Eccleſia confert.*

Jovita. Iſta Fauſtine quæ adfers aliena omninò ſunt, ab illis elogijs quæ lineis committuntur ac feſtivitatem quaſi quibusdã limitibus circũſepiunt.

Fauſtinus. Equidẽ exempla quæ huc contulimus, ſunt quædam uberiore filo, licet argutè propoſita: ſed tamen plurima ſunt quæ iisdem reſciſſis verſuum lineis, committi poſſunt. En ſermonem 14. S. Auguſtini de Sanctis in converſione Sancti Pauli habitum, quẽ ego textibus ſcripturæ intermiſſis lineis concedo Juglari familiaribus.

Quintum Exemplum S. Auguſtini de Paulo.

Proſtravit Chriſtus perſecutorem
Ut faceret Eccleſiæ doctorem
Percutiens eum & ſanans, occidens & vivificans,
Occiſus eſt agnus à lupis, Xtus à Judæis,
Sed

Sed faciens agnos de lupis &c.
Beniamin lupus rapax.
Quid ergo?
Lupus rapax ſemper.
Abſit. [eſcas.
Sed qui manè rapit prædam, ad veſperā dividit
Hoc in Apoſtolo Paulo impletum eſt.
Ibat ſpirans & anhelans cædes.
Ut eſſet in omnium lapidantium manibus,
Ipſe omnium veſtimenta ſervavit,
Magis ſæviens omnes adjuvando,
Quàm ſuis manibûs lapidando,
Voce Xti de Cælo proſtratus
Et accipiens deſuper interdictū ſæviendi, cecidit in faciem ſuam.
priùs proſternendus, poſtea erigendus,
priùs percutiendus, poſtéà ſanandus.
Non enim poſtéà Chriſto viveret,
niſi occideretur in eo,
quod malè antea vixiſſet.
quid ergo proſtratus audit?
Saule! Saule cur me perſequeris?
ut oſtenderet ſe in cælo pati,
quod membra patiebantur in terra,
Ille caput & nos membra:
Quod membra patiuntur,
Caput pro membris clamat.

Si tibi aliquis pedem calcaret, aut manum
Sive latus foderet
Caput pro membris clamaret,
membris adhuc in terra positis:
Caput in cælo clamat.
Et ille quid me vis facere?
jam parat se ad obediendum,
Qui priùs sæviebat ad persequendum.
Jam informatur ex persecutore prædicator
Ex lupo ovis, ex hoste miles.
Cæcus sanè factus,
Ut interiori luce fulgeret cor ejus.
Exterior lux ad tẽpus subtracta est persecutori,
Ut redderetur prædicatori.
Ex eô tamen tempore,
quô cætera non videbat, JESUM videbat,
ità ex ipsa ejus cæcitate,
informatur mysterium credentium;
quòd qui credit in Xtum
ipsum intueri debet.
Cætera nec nata computare.
ut creatura vilescat
Et ut Creator in corde dulcescat.
Adductus est ad Ananiam,
Et Ananias interpretatur ovis
Ecce lupus rapax adducitur ad ovem,
Sequendam non rapiendam.

Sed

Sed ne rapientem, ovis expaveſceret lupum,
ipſe Paſtor de Cælo
Nuntiavit lupum venturum ovi,
Sed non ſæviturum.
Mira & magna res geritur,
lupo ſævitia interdicitur,
lupus ad ovem captivus adducitur.
Tanta autem præceſſerat fama lupi raptoris,
Ut ejus nomine auditô timeret ovis,
etiam ſub manu Paſtoris,
Confortatur.
Ne jam putet ſævientem, ne timeat timentem,
Ab agno pro ovibus mortuo,
Fit ovis ſecura de lupo,
Quod faciat contra nomen Paſtoris,
O! ſævitia. O! miſericordia
Vides illum præparare ferrum
Secaturus eſt non pertempturus
Curaturus non occiſurus.

Sextum Exemplum.
Styli arguti & Elogiaris.

Ex ſermone Sancti Auguſtini 33. *de Sanctis, in nativitate JOANNIS Baptiſtæ; ubi cæteris omiſſis feſtivè dictîs illa quæ JOANNEM concernunt profero in medium. Verba Auguſtini ſequuntur.*

Hic

Hic Joannes nō invenitur inter diſcipulos Dn̄i,
Sed invenitur potiùs diſcipulos habuiſſe cū Dno.
Quis homo tantus? quantus tantus homo.
Tamen non ſequebatur inter diſcipulos Dn̄i.
Et ſequebantur eum diſcipuli,
Abſit ut dicam contra Dominum,
Sed tamen quaſi extra Dominum,
Diſcipulos habebat Chriſtus.
Diſcipulos habebat Joannes.
docebat Chriſtus, docebat Joannes.
Quid jam dicam
Baptiſabat Joannes, baptiſabat Chriſtus
plus hic de baptiſmo dico.
A Joanne baptiſatus Chriſtus, (flātur
Ubi ſunt qui de myniſterio baptiſmi arrogātiâ in-
Magna jam apparere & eminere cauſa cæpit.
Quia fuerat Xtus à Patre mittendus
Et Joannes à Patre præmittendus
Prior miſſus eſt Joannes,
Sed ſicut ab obſequentibus antecedit judex,
Poſterior homo creatus eſt Xtus,
Sed Joannem creavit DEUS & Xtus,
Iſte ergo tam magnus
Agnoſcit Dominum ex parvo magnum,
Agnoſcit homo eum
qui venerat homo DEUS.
Si enim inter natos mulierum,

Nemo

Nemo exſurrexit major Joanne Baptiſta?
quisquis Joanne plus eſt,
Non tantum homo, ſed & DEUS eſt.
Debuit ergo tantus iſte
& diſcipulos proprios habere
& cum diſcipulis ſuis,
Magiſtrum omnium Chriſtum cognoſcere,
Quod enim eſt majus teſtimonium veritatibus
Quam ſe humiliando eum agnoſcere
cui æmulando potuit invidere,
Putari Xtus potuit & noluit
Reſpondit ille quod non erat.
Ut maneret quod erat,
Inde quippe lapſus Adam perdidit quod erat;
qua quod non erat uſurpavit. [nimo
Recolebat hoc iſte magno, ſed in parvo Xto mi-
Noverat hoc, recolebat hoc, & tenebat;
quia recipere quod perdiderat, cogitabat.
Potuit credi Xtus;
imo jam ab eis
qui ejus magnitudinis gratiâ fallebantur
credebatur Chriſtus.
Et in illo morerentur,
niſi ab illo confitente corrigerentur.
Reſpondit ergo putantibus: non ſum Chriſtus.
Debeo agnoſcere,
Ut vobis errantibus ille poſſet ignoſcere,
Si enim quod non erat fallaciter pateretur,
Ab

Ab illo qui erat, veraciter amputeretur. Omitto jam brevitatis causâ cæteros argutos Sanctorum Patrum ſermones, omitto Aug: de Lazaro tract: 49. in Joannem feſtivam lucubrationem: prætereo D. Magdalenæ elogia, Sanctis Angelis laudes, cæterasq; innumeras. Theatrum hujus ſtyli quoddam aperit Sola Virgo MARIA MATER DEI quæ ingenioſiſſimis Sanctorum Patrum commentationibus liberaliſſime illuſtrata eſt.

Jovita. Equidem Sancti PATRES belle ſatisfaciunt ſuîs exemplîs ſtylo arguto, cæterum tamen alius eſt Stylus Sanctorum Patrum quàm Oratorum, aliaq; illis elocutio.

Fauſtinus. Equidem non inficior aliam in Sanctis Patribus nonnullis, vim dicendi concluſam eſſe: cum enim illorum maxima gratia ſit, ſcripturæ ſacræ verbîs phraſiq; prout *in Mellifluo videmus* loqui, jam autem ſacra biblia aliqua ſui parte Pòëſi ligata conſcripta ſint, ac planè tota entheô plena Divinô, neceſſe eſt ut elocutione pòëticâ utantur liberâ ac licentioſâ. Cum autem

autem aliqui ab hac loquendi libertate recedunt Sancti Patres & obſcuritatem ſcripturarum claro imbuunt orationis lumine, nihil obeſt, quo minùs eorum elocutio ab Oratoria ſejuncta ſit. Et ſi autem aliquis Sanctorum Patrum locus abſtruſus, hoc minimè in eis elocutionem Oratoriam, impedire debet, Nam juxta Ciceronem, Oratores Attici, quamvis ſint obſcuri, ideo quia breves, tamen ſunt Oratores. Nec illud acriùs in contrarium pugnat, quod divinam pòëſim explicent. Nam Gallutiùs Archirhetor Romanus, tribûs orationibus allegoriam Virgilij illuminat, nec tamen inde pòëta eſt. Et Homerus Ciceroni elocutione, planè Orator videtur. Hæc autem vox *minoratus*, *imo* exemplo inſerta, non pòëtica eſt, ſed critica: quâ ut diximus Sect: 73, uti poteſt Orator ſi velit: ſi verò nolit cenſores excitare; reiiciat, ſed permittamus Sanctos Patres pòëtas ſolutos eſſe; quis unquam, aut in eoſdem

aut

aut in eorumdem ſine impudentia irruit ſtylum? quis eorum luculenter Sancta & Divina pæne facundiâ, prædita opera caſtigaverit, eò, quòd alius quîsquàm neq; ſanctimoniâ illuſtris, neq; doctrinîs imbutus, neq; eloquentiâ potens, inermiter, infantiliter, imò nè dicam ceù hiſtrio in ſacram ſcripturam luſerit? quòd ſi hi ſacrarum exedrarum pueri, nihil ſuæ labis in Doctores Sanctos emiſerê, cur aliorum ludendi inſolentia Soc: JESU maturis lucubrationibus, peſtem inhalet? aut quorundàm doloſum artificium, magiſtram orbis, hujus peſtilentiæ cauſam inſimulet? ſed pergamus ultra.

Sectio 89.

Cùr hic ſtylus acutus maximè juvenibus datur, & cùr maximè in Polonia.

Vidimus argumenta cur ſanctorum Doctorum dicendus hic argutus orationis modus, ſed rationes quibus compulſi

pulsi nonulli nostri Doctores in scholas induxerunt Polonas persequamur. Equidem, si nulla adesset causa, illa satisfaceret, quòd ad solidam dicendi rationem optimè curritur per argutias: adeoq; adolescentibus antè scientiarũ altiorum penetralia positis, rectè ceù gradus supponitur ad ascensum. Hujus rei luculentum præbet testimoniũ Svetonius, qui sic de claris Rhetoribus, in vita Plotii Galli: imo ipse Cicero ita habet: *Plotius Gallus de hoc Cicero in epistola ad M, Ticinium sic refert: Equidem memoriâ teneo, puerîs nobîs primùm latine docere cæpisse Plotium quendam, ad quem cùm fieret concursus, qui studiosissimꝰ quisq; apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere, continebar autem doctissimorum hominum authoritate, qui existimabant, Græcîs exercitationibus ali meliùs ingenia posse.* Igitur si Cicero ad perfectam, omniq; ex parte absolutam eloquentiã beneficio arguti styli (id enim exercitatio Græca significat, ut toto Cicerone

patet

patet) pervenit, si sensus omnium fuerant, apud Græcos maximè acui adolescentum ingenia; cùr id nonnulli Doctores respuant? cùr cæteri, dùm ipsi duro cibo assvefacti sunt, juvenes hoc lacte prohibeant? Dixit Tullius (supra Sect: 52.) de Asiatico charactere, quô utebatur Hortensius, quòd adolescentioribus magis, quàm senibus conveniat. At is character nonnè argutias leporesq; continet? Lælius & Scipio quamvis viri fuissent ingeniô scientiis & officio graves dum rus ex urbe descenderent, repuerascere soliti de quibus ita Cicero Orat: lib: 2. *Sæpe ex Socero audivi, cum id diceret, Socerum suum Lælium, semper fere solitum cum Scipione rusticari, eosq; juveniliter repuerascere esse solitos cum rus ex urbe, tanquam è vinculis evolavissent.* Quid hæc vox infert *repuerascere*? nisi quia jocis multis, argutéq; dictis animum reficerent. Ex quo nobis libet colligere, quòd propria puerorum doctrina sit argutè faceteq; dicere.

cere. Ipſa inſuper antiquitas, huic induſtriæ coronã imponit, approbatq́ quòd noſtris ſæculis factitatur. Nam ut Plutarchus perhibet de Lycurio ſapiente: ſtatuam riſus publicè dedicavit, ad quam adoleſcentes, verbîs jocarentur & ſcommata quoq́ ſapienter dicta, promerent, deprompta patienter ferrent. Quid hic ſapientiſſimus vir Lycurius intendebat, nõnè acui poliriq́ juvenum ingenia? Rectè itaq́ ad hanc jocoſam orationem ducitur adoleſcentia, non ut illa ſubſiſtat, ſed ut ſvaviùs ſed ut cùm majori guſtu, illam quæ ſolida eſt, delibet, ſeu in laudibus, ſeu in aliis materiis. Ut enim pueris ſacharo conditur panis ut illicio dulcedinis, maſculo aſſveſcant cibo, ita hoc facetô ſtylô, ſvavitateq́ ſermonis, ad virilem illam gravemq́ eloquentiam invitantur: & ut Lucanus ait:

Sed veluti pueros abſynthia trita medentes
Cum dare coguntur prius aurea pocula circũ,
Contingunt mellis dulci flavoq́; liquore.

Sic

Sic adoleſcentibus faceta oratio eſt irritamentũ ad illã ſæveriorẽ Rhetoricã.

At non ſola juventutis providentia Societatis nonullos Doctores ad hujus ſtyli uſum compulit. Cum enim illa ampliſſima dicendi facultas Encyclopædiam univerſamq; ſcientiarum, id eſt omnis Philoſophiæ Theologiæq; poſtulet experientiam, cumq; Polonæ juventuti ac præcipuè nobilitati familiariſſimum ſit Rhetoricæ confinio ſua limitare ſtudia; & præterea pauci, præter Magnates, qui Bibliothecas domeſticas alant, quibus in privatis Domûs ſuæ receſſibus ingenii ſui felicitatem promoveant, ex aliquorum Doctorum praxi conſtitutum eſt, ut hoc ſtylo imbuantur, qui ad majora gradum ſterneret, adoleſcentibus verò non inornatã facundiam relinqueret. Nam ad hujus ſtyli uſum ipſo Cicerone teſte magna ſcientiarum pericula non requiruntur. Quòd luculenter patet ex Titio quẽ ita deſcribit Cicero de claris oratori.

Titius

Titius Romanus, meo judicio eò perveniſſe videtur quò potuit omnis fere Latinus Orator ſine Græcis literis (id eſt ſcientiis, nam temporibus Ciceronis nulla ſcientia latinâ lingvâ promebatur] *& ſine multo uſu pervenire. Hujus orationes tantùm argutiarum, tantùm exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut pene Atticô ſtylô ſcriptæ eſſe videantur. Ejusdem argutias, in comædias ſatis quidem acutè, ſed parum tragicè transtulit; quem ſtudebat imitari Affranius Pòéta, homo perargutus, in fabulis quidem, etiam ut ſcitis, perdiſertus.* Quamq; hâc inventionis induſtriâ profecerit Polonia, clarum eſt, cum multi paucîs literîs doctrinîsq; imbuti, tamen cum magna laude à ſacris exedris perorant, ac pene omnium auribus (non dico fini Rhetoricæ) ſatisfaciunt. Sed non hi ſoli: ſunt multi in ſenatu, multi in comitiis, qui cùm acuiſſent hîs argutiis ingenia, ſtatuq; Reipublicæ mentem imbuiſſent, non modo ſunt facundi, ſed mirabili dexteritate ac fa-

cilitate dicendi pollent; neq; hæc acumina à promovendis rationibus ſolidis, quosquam impediunt, ſed juvant potiùs. Imò nemo Orator excellens eſt, qui has argutias ſuæ orationi, tanquam domui lumina non appoſuerit; conſentiente in id Cicerone libro 1mo de Orator. *Accedat eodem oportet lepos quidam facetiæq́; dicendi & eruditio digna, celeritasq́; & brevitas reſpondendi & laceſſendi, ſubtili venuſtate atq́; urbanitate conjuncta.* Quo lepore etiam in ſeveriſſimis orationibus utitur Tullius, riſumq; conatur movere. Ut cæteros locos omittam ita in Piſonem habet. *Cumq́; ipſe nudus in convivio ſaltaret, in quo ne tùm quidem, cum illum ſaltatorium ſuum verſaret orbem, fortunæ rotam pertimeſcebat*: quàm feſtiva combinatio rotæ cum circulo ſaltatorio? Pariter in Fannium Chæream ludit Orat: pro Roſcio. *Nonnè ipſum caput & ſupercilia penitus abraſa. (Si quam conjecturam adfert tacita hominis figura) olere malitiam & clamita-*

re

re calliditatem videntur? nonnè ab imis ungvibus, usq; ad verticem ſummum ex fraude fallaciis mendaciis conſtare totus videtur? qui idcirco capite,& ſuperciliô, ſemper eſt raſis, ne ullum quidem pilum boni viri, habere videretur.

Jovita. Nequaquàm hic Tullium luſiſſe puto, ſed probô argumentô Fannii ſcelera comprehendiſſe exiſtimo.

Fauſtinus. An non ideo hæc exiſtimas? quia nunquam vituperia noſtro ludunt ſæculo? ſed probum erit id in laudem intorquere.

Nonnè ipſum caput & ſupercilia penitus abraſa (quoniam negligentia corporis, diligentiam in curandis animis ſæpe exhibet) olere virtutem & clamitare innocentiam videntur? nonnè ab imis ungvibus usq; ad verticem capitis bono virtutum habitu coopertus videtur? Qui idcirco capite & ſuperciliô eſt raſis, nè à cæſarie ſed ab optimis moribus pilũ boni viri habere cenſeatur.

Quod ſi hic ſenſus germano fundamento, innixus videtur? fateamur

difficile esse rationis solidæ & argutæ confinia quandoq; circumscribere.

Sectio 90.

Utrum acutus stylus festivæq; orationes sit Gothicus stylus ac barbarus.

Faustinus. Non solum velle id videtur non nemo, sed hunc suum sensum, clarè & apertissimè pronuntiat, præsentis sæculi orationes, quæ magno splendore fulgurant, Gothicum esse, ac stylum planè barbarum; dum dicit.

A Gothis in Italia imprimis, maximèq; depravatam fuisse eloquentiam Romanam: Et paulo infra.) Ad nos (Polonos) ab illis ante 80. fere annos, hæ styli Latini maculæ dimanarunt. In quo nimis Authoribus nostri sæculi, nimis SS. Patribus, omni scientiâ excultis intulit injuriam. Nã cũ callidè dicit, ante 80. fere annos, hæ styli maculæ promanarunt, presse attingit Juglaris elogia, Genuæ imum, Cracoviæ dein edita A. Xti 1643. adeoq; ante librum suum luci enixum 98 annis. Qua in re judicium universi orbis, hominumq; omniũ sancita com-

compello. Pono enim Gothicam epistolam pono & Juglaris *imum* elogium: quo hæc à se discrimine sejuncta sunt, videat omnis mortalium turba.

Epistola Theodorici Regis Gothorum ad Senatum.

Vir magnificus atq; Patritius Decius, glorioso circa Rempu: amore devinctus, ultro postulavit voto mirabili, quod vix potuisset sub consilio nostræ pietatis. Decennovij paludem in hostis modum vicina devastantem, fovearum ore patefacto, promisit absorbere, illam famosam sæculi vastitatem, quam sub diuturnitate licentiæ, quondam mare paludestre possedit: cultisq; locis inimicum superaffundens unda diluvium, terrenam gratiam, sylvestri pariter horrore confudit: nihil utile nutriens. Sub liquore spoliatum est fructibus solum, post quam obnoxium cæpit esse paludibus. Ideo miramur priscæ confidentiæ virum, ut quod virtus publica refugit, manus privata susceperit. Hunc ergo audacem laborem aggressurum se laudabili perfectione pollicitus est, ut pereunte damnoso gurgite, quæ fuerant amissa ulterius non perirent. Unde nostras super hac parte fertilitatis, postulat jussiones, ne sine auctoritate publica, subeat opus eximium, quod

erit

erit cunctis viantibus profuturum. Sed vos Patres Conscripti præsentibus decretis admonuimus, ut ad dicta loca Decenovij, duos ex vestro corpore, dirigatis, quibus arbitrantibus, quantum spatij restagnantis, in cursibus paludestris illuvies occupaverit, fixis terminis adnotetur, ut cum ad perfectionem promissum pervenerit liberatori suo, reddita terra proficiat, nec quisquam præsumat attingere, quod tam diu invadentibus aquis, non potuit vindicari.

Hoc est Gothicæ eloquentiæ monumentum, regium quidem, sed cultu sermonis rusticum, & quod ad præsentis sæculi splendorem, obscurum est & insulsum, ideo, quia id exprimere non videtur satis, quod mente concepit. Ultra itaq; verba nova & barbara, qualia sunt *paludestre* pro *palustre* habet duras nimium & à dissimili ductas metaphoras: ut *confudit* pro *obduxit*: *absorbere* pro *alveis deducere*: habet phrases, non ad rem pertinentes; habet constructionem barbaram in his: *circa Rempublicam amore devinctus*: corrige *Reipublicæ*

amore

amore devinctus. Præterea ultro poſtulare voto mirabili: *voto mirabili*, eſt vox ſuperflua. Deinde non ſæculi vaſtitatem: *ſed famoſam ſæculis loci vaſtitatem.* *Licentiæ vox* malè pro tempore ponitur. *Terrenam gratiam ſylveſtri pariter horrore confudit.* Obſcurè genericæ definitiones exprimunt rem, ſi non præcedat definitum vel ſubſequatur, quæ tamen in epiſtola omitti egregiè poterat.

Nec miremur ſic frigidam epiſtolã, illis enim temporibus, Latina lingva vulgaris fuit, adeoq́ ut nunc Gallia vocum immutata indicia accuſat, ut diximus in prologo Sectione 1, ita olim & Latia, maximè cum Gothi (vide hìc de voce barbara Sectione 73.) magis ferri ſui nitorem, quàm lingvæ promovebant. Sed omittamus eam epiſtolam tanquam elumbem & nullîs inſuper compactam nervîs, diſſolutam & vagam. Videamus an quoq́ Juglaris elogia pari enormitate ſtyli ſcateãt.

Elogium

ELOGIUM imum DEI HOMINIS R.P. Aloisii Juglares Soc: JESU.

Amicus ſilentii DEUS eſt;
Semel in tota æternitate locutus.
Uno omnia dicit in verbo.
Primâ ſui fæcunditate facundus,
Ipſa ſui conceptione fit parens
Usq; adeò in DEI Filio
Nativitatem conceptio nō præcedit,
Cui ipſum concipi, naſci eſt,
Ita Patris fæcunditatem exhauriens,
Ut illi fratrem dare non poſſit.
Unus cum ſit,
Numeri damnum compenſat.
Ipſa ſui apprehenſione cōprehenſio,
Ipſa intellectione locutio.
Sapientia ſine literis,
Imago ſine lineamentis
Cum prodierit ante Luciferum
Adhuc in ſpendoribus natus eſt.
Citra diſſidium oppoſitus Patri,
Tota ab eodem accepta ſubſtantia emancipatus,
Adhuc habet omnia cum illo communia.
Abavos Proavosq; ne quære:
Illi tota nobilitas Pater eſt.
Antiquiſſimus genere Majores non habet;

Adeo

Adeo esse vera nobilitas,
Sine Majoribus potest.
Nunquam morituri hæres æternus;
Viarum Domini initium idem & finis;
Adhuc nasci, non cessat tot annos natus,
Quia semper vivens est, semper spirat,
Mens & brachium Domini,
Cum omne in illo sit robur, à dextris est,
Sui speculator & speculum,
Radios, dum accipit reddens.
Non minus ideo Patre contentus
Quia avidus Matris,
Quam nascendo non potuit
Renascendo quæsivit,
Apage hinc Ari, cum tuis;
Grammaticus enim ut sis,
Hoc nimis anomalum verbum est.
Omni præsens, & infinitum in tempore,
Cum nullis regatur casibûs,
Nullius esse ordinis potest.

Enthusiasmus hic solutus est, proinde nullo artificio nisi entheô, materia dicendi disponitur. Et si Maro si Martialis, si cæteri ligati pòétæ, non sunt Gothici, ita nec arguti Oratores, modo decorum servent numerumq; naturalē.

Ad

Ad hanc Pòéſim ſolutam refer ſequentem orationem, magis gratiîs verborum, quàm ſenſu comptam, quæ in libro de emendandis vitiis eloquentiæ poſita eſt pagina 143.

Prodiit in lucem gratia, quæ in tuum etiam influxit nomen Jllu: Antiſtes Lætitiam montana non capiunt, quin hanc etiam in urbem redundent, ubi plauſus imperat, & Joanni ſacer natalis & tuus. Credo alii nobis in hoc plaudendi officio præivere: nam non ſolus hodie Joannes præcurſor eſt; ſimul ac vox illa clamantis inſonuit: curritur undiq; ad gratiam, & nobis præcurritur: quaſi etiam nominis tanti gratia, tarda odiſſet molimina. Sed ad nos etiam vocis ſonus, jam pertigit: nec ſurdis cecinit, quibus tui nominis indixit præconia, & ſi tantò minora poſſumus, quantò major ille, qui in te colitur, utpote quo nemo major. Elingve nos tenuit ſilentium, donec inter montana novô gratiæ prodigiô, vox refracta non ab utero tantum, ſterilitatis probrũ, depelleret, ſed à lingvis etiam verborum ſterilibus.

Quid in hac oratione obſervem quæris Jovita, Lætitiam, gratulationem, bene-

benevolentiam, amorem reſpondeo: obſervo urbanitatem orationis: in cæteris autem ſimilibus gratulationibus par habeto judicium.

Sectio 91.

Utrum Senatoribus quandoq; conveniat hic ſtylus argutus.

FAuſtinus. Sæpe à te Jovita ſollicitatus ſum, utrum ille ſtylus, qui magnum dicendi leporem, præſefert, ad conſilia ingentia advocari poſſit. Equidem ſi ſpecto majeſtatem hujus dictionis, vel in legationibus admirandam, vel in comitio Reipublicæ ſalutarem, nullatenus hic ſtylus commodus, ſed peſtilens videtur. Quis enim roſis & floribus ruentem fulciat machinam, quis hacce jucunditate ſermonis labentem Patriã ſuſtineat? Quod ſi in conſiliis nulla his argutiis portio aſſignata eſt, quantò magis in judiciorum contentione, ubi veluti ſudibus & ſaxis pugnatur? Attamen mihi hac de re deliberanti mul-

multum, obvenit: hanc argutandi formam, à neutro tam consiliorum, quã Tribunalium exclusam foro, si cæteri ad Encyclopædiæ ubertatem satis superq; dixerunt. Neq; enim ego hunc legis peritum, causarum vindicem, condemnem, qui postquam omnia ad legum ad rationum, ad Ethicæ Philosophiæ politicæq; sancita dixerit, si inquam adhuc prurire lingva mandatus aliquid argutè proferat?

Neq; hunc Senatorem vituperem, qui cum in gravi causa 20. aut 30. Patres Patriæ, omnia jurium Patriæ, omnem historiarum memoriam prævio sermone exhauserint, omnem vim eduxerint, non tam svadere ea, quæ luculentis rationibûs à præcurrentibus suffragiis destinata, ac firmata sunt, quàm potiùs ornare constituerit. Alia mihi crede lex est Jovita in Polonia, quàm in cæteris nationibus. Ibi juxta paucorum consilia res posita est; in Lechia verò, quot Senatores sunt, tot difficillimorũ

Rei-

Reipub: negotiorum statores, quot nobiles, tot ut ita dicam Regni liberrimi vindices. Quô Regni statu positô, nonnè quemlibet decet ingenii sui facultatem, in publica Regni, vel Palatinatûs concione, depromere? ac probatam à cæteris sententiam, inornare hoc dicendi genere?

Adde rem certam, ac omni exemptam dubio tractari: quorsum ibi universæ scientiæ ad probandum commovendæ? Actum agunt, aut albam amussim in lapide albo ponunt, illi Philosophi, qui ad solis firmandam existentiam, omnem ingenii sui subtilitatem advocant: qui ex messibus, ex plantis, ex animalium mutationibus, eam eliciunt, quantò magis mihi risu dign9 consul, videtur, qui rem certissimam omniumq; civium ratione vehementer comprobatam, immensis rationib9 firmare ac cramben conatur repetere? Ergo sola tunc auditorum voluntas delinienda. At hi joci, hæ facetiæ hi lepo-

lepores, ut & locus à simili, omnium oratorum consensu, multū conficiunt in affectibus excitandis. Ergo his uti quoq; potest consul Patriæ. Ad hujus rei evidentiam illustrandam: pone Senatores in Polonia Palatinos 32. pone Senatores Castellanos majores 33. pone minores 49. Adde Officiales Regni 10. quantus est consulum Patriæ numerus? Si mediæ partis consilia referrentur in unam materiam, nonnè jam omnis ratio solida exhauriretur? quid cæteri dicerent? Idem repeterent? At quoq; occidit miseros crambe repetita magistros? Silerent? turpè est gloriam ingenii, taciturnitate supprimere. Satius igitur aut argutô dicendi generè, aut conquisitis similibûs: aut unâ allegoriâ sententiam, jam alibi probatam commendare, approbare, animis audientium insinuare, quæ festiva probandi ratio, ut Milonem eripuit severitati judicum apud Ciceronem, ita in Senatu potest invitare consensum cætero-
rum,

rum, atq; sibi humanitatem aliorum obligare.

Dum verò singulæ Provinciæ, singulæ terræ, legatos mittunt ad Regni comitia: quantus ibi consurgit Oratorum numerus? ex quo quisq; suum sensum super omni puncto tenetur aperire; Ibinè varietatem argutiarũ inspergere erit crimen capitale? Nihilne erit vitii hanc assentiendi formulam. *Concedo* aut dissentiendi *nego* proferre jam verò crimen erit, eundem animũ, argutiis & allegoriunculis inornare? Itaq; maximis Oratoribus, servata decori lege argutandi facultas deferenda. Imò magnis viris non modo datur venia argutandi, sed necessitas officii sæpe compellit ad hos dicendi lepores. Etenim inter omnes, qui authoritate sua Poloniam sustinent, quis quæso majore dignitatis charactere annotatus est, quam legatus ad exteros? qui totius Reipublicæ vultum in sua persona conformatum effert extra limites? cũ

Prin-

Principibus, Regibus, Cæſaribus, grandia Regnorum componit hic negotia. Attamen argutandi agilitatem, eidem præſcribit, in ſuis præceptis Rhetoricis, *Illmus Maximilianus FREDRO Palatinus Podoliæ.* Nam ſi argutiæ aliquæ, aſtutiæq; ingenii aliquæ, ſophiſmata ſunt ex ſe omnino honeſta, prout aliqui cenſent Philoſophi, ſi reſcindātur fines, perverſitate hominū propoſiti ſophiſtis, hæc legato ad exteros cōmendata facit Rhetor Palatinus. Nam inter alias legati dotes ſequentes inculcat Cap: 8. pag: 427. *Imò (ſi præſertim cum gente ſuperba & captioſa res agenda venit) ſubaſtutos viros, moderatæq; authoritatis, ad agendum deſtinare neceſſè: qui ſcitè norint per æquivoca, & ſophiſmatica reſponſionum objecta & interrogata verbîs eludere.* Porro nec ſubaſtutus, nec æquivocus, nec ſophiſmaticus, interrogando & reſpondendo, poteſt eſſe legatus, niſi ſimul argutus ſit in dicendo. Quare argutandi peritia legatis, neceſſaria ac viris magnis, non modo juvenibus. Se-

Sectio. 92.

Utrum argutus ſtylus poſſit dici ſtylus Oratorius.

JOvita. Optimè omnibus ſtyli honorem reſtituis Fauſtine. At multū injuriæ intuliſti, tum antiquioris tum noſtri ſæculi ſcriptoribus, quòd illos in collegium Pòëtarū retruſeris. Quis enim Auguſtinum in propoſitis laudibus Sect: 88. quis Labbæum, quis Juglarem, quis cæteros hactenus Pòëtas ſomniaverit.

Fauſtinus Equidem Jovita, modeſtiæ causâ, id me feciſſe exiſtimes: qui latratus ingruentium canum expaveſcit, arborem conſcendit, ſicq; ſibi tutus, omnem moloſſorum impetum deridet. In laurū Pòëticam, in Apollinis montes hos ego argutiarū, allegoriarumq; ſectatores, compuli, ut ictui Criticorū eriperem.

Jovita. Sit illis hæc ſane ſecura ſtatio, attamen minùs decora; ſemper e-

nim oratores, qui campis ſuis, planaq́ oratione ſpatiantur, plùs authoritatis habent, quàm Pòétæ, quos laurus, & altiſſimus extollit Parnaſſus, montium prærupta ac præcipitia.

Fauſtinus. Neq́ ſola illorum opera, neq́ ſolos præſentes authores, hâc Provinciâ donavi. Omnia ſæcula, venerandum Pòétæ nomen, tanquam divinum ſemper concelebrant: id ſanè magno honori erit. Quoscunq́ Jovita authores leges, audies oratoris indolē, ſemper à ſermonis luxu alienam. Quidquid autem in toto ſui tractu elocutione ſplendet ſingulariùs: quidquid exaggeratâ facundiâ nimioq́ lepore perfuſum, id Ariſtoteli pòéma eſt. Quia igitur nimis ornati, idèó Pòétæ ſunt: ut ſi ſibi ducant injuriæ, alterius ſceleris non ſunt conſcii, niſi quia ornamenta & fulgores ſermonis vehementiùs ſectantur, Hiſce meritis hoc amplum præmium recipiunt: hoc ſcelus, hæc pæna eſt. Ea præterea Pòétarum laus

eſt,

est, ut Divina Pòésis non modò Orpheum & Linum Cælo inferat, quo neminem Oratorum intulit præmiatrix studiorum fabulosa antiquitas, verùm ad nobilitatem sui authores promoveat. Dum enim Gallutius volumine imo orat: 18. vias ad nobilitatem indagat, postquam antiquitatem generis, divitias, virtutem, ac scientias, ex vetustissimorum doctorum sensu compererit, Pòésim inter scientias strenuissimū supra cæteras doctrinas, nobilitatis perhibet artificium, dum ait: *Quod si è liberalibus disciplinis, quænam sit, nobilitatis conficientior à me requiratis? haud dubiè Pòéticam esse respondebo, à qua nobilitas omnium maxima percipiatur. Ut enim inter illiberales artes, pictura minùs est illiberalis, ita Pòética inter liberales liberalissima. Cæteræ quidem artes efficiunt nobiles, quos suis instruunt ornamentis, sed nobiles sæpe numerò domi suæ. Pòética nullis conscribitur cancellis, nullo clauditur fine, nullis regionum limitibus terminari potest Jacent*

cent permulti peregrinorum non inculti ſcriptores; Pòëtarum quantumvis longinquo, quantumvis inculto eductus ſolo, inglorius atq; in obſcuro deliteſcit nemo, ipſe ſibi lucem parit, & vitâ functus toto terrarũ orbe pervagatur: ut jure gloriari poſſet ac dicere;

Nemo me lacrymis decoret ac funera fletu.
Faxit, cur volito vivus per ora virûm
Exegi monumentum ære perenniùs
Dignum laude virum, Muſa vetat mori.

Tanta eſt gloria Eloquentiæ Pòëticæ ab Archi-Rhetore Romano attributa, quam, cùm in aliqua diſertiſſimorum hominum opera, corrivo hæc minimè commaculata, ſed ornata cẽſenda ſunt, maximè cum & ipſe Gorgias laudatiſſimus à Cicerone hic Sect: 14. Orator, Pòëtico in oratione utebatur ſtylo ut ex Majoragio oſtendimus Sect: 65. At ſi quis feſtiviorem ſermonem, orationem exiſtimabit, aliam Provinciam merebitur, Oratorum quidem ſed Argutorum, ad ornandum magis, quàm ad probandum aptiorum. Ut enim

lapi-

lapides pretioſi non ad pingendam, ſed ad illuſtrandam commendandamq; valent imaginem: ita arguta oratio ad fulgorem rei augendum erit expeditior, pertinebitq; ad Atticum characterem Sect: 49. Nomen oratoris tam arctè vendicat Cicero, ut Platonis Dialogis, timidè orationis, ſed ſermonis gratiam deferre videatur: quod illi non orent aut Judicis ſententiam aut populi conſenſum, ſed tantum ſancita Philoſophi enuntiēt: quo ex loco omnis laus vix oratio cenſeretur. Sed tamen hoc nomen panegyri concedamus. Remotîs enim authorum regulîs quos parte tertia ſuſcitavi, ad promenda de elocutione judicia, exemplum Ferrarii Archi-Rhetoris Romani omnibus argutîs ingeniis Oratoris nomen deferre videtur. Duo etenim ſunt quæ videntur invidere Oratoris nomen, argutis Rhetoribus, brevitas altera, altera multa feſtivitatum congeries. Contra brevitatis hoſtes tota eſt Baptiſtæ oratio 33.

quam etiam exemplum Senecæ commendat vehementiùs, & idem Ferrarius dum amplitudinem periodorum per totam orationem affectatam, deridet audentius, ita ait orat. 32. *Quis amabo veſtrum eam amet in hominum cœtu ſimilitudinem, quâ mortales ad unum omnes turgidæ orationi germaniſſimi, doliaris ventris obeſitate, ſunt Bacchi fraterculi?* Feſtivitatum autem abundantia, ſi materiæ, ſi tempori, conveniat, quis illam oratori neget, qui ideo Orator eſt, & à Pòëtarum choro ſe ſe eximit, quòd in eloquendo naturam, id eſt rerum exigentiam non entheum ſequatur? Pono inſuper exemplum ejusdem Archi-Rhetoris, quod integra Roma, ac eximii latinitatis Doctores, cū reverentia ſtyli legerunt ſemper.

ORATIO Dedicatoria

Illuſtriſſimo Principi Alexandro Cardinali Urſino. Joannes Baptiſta Ferrarius.

URſinæ iterum Roſæ ſpinas addo, dedicoq́;

ſive

ſive ut planè dicam priùs ego Syriacè deinde etiam latinè aſper, te florentem inter Principes colo. Princeps Jlluſtriſſime, Tibi verò potiſſimùm inſcribendæ fuêre ſpinoſæ, atq; horridulæ orationes meæ: quia feciſti quòd roſa ſolet, quæ ſpinas ornat ut decoret, dum ſæpe illas utcunq; acutulas judicaſti, atq; ad publicam etiam lucem provocaſti. Et velint illæ aliam aſpicere niſi roſeam lucem tuam? Tam pulchro in limine mea quoq; ſpineta pulchra videantur. Conſultum præterea eſt nimis delicatis ſectatoribus, quos privata punctim oratio graviſſimè vulnerat. Nam ne punctiunculæ iſtos exaniment, florem tuum præferunt qui recreet. Nimirum non inanes floſculos conſectari, ſed (ut eſt in proverbio] roſas loqui, vel inter aculeos dicar, qui meæ dictionis aſperitati, Urſini nominis immiſceo ſvavitatem. Vale.

Hæc jucundiſſima oratio non modò Archi-Rhetoris, ſed & oratoris Pōtificii.

Jovita. Belle hic ludit Ferrarius. Orationes enim breviores te vindice amant hanc ſtyli feſtivitatem, ut ſuam exiguitatem ornamento exaggerato compenſent. Volo Fauſtine aliā proferas, quæ longior ſit. *Fau-*

Faustinus. Licet orationes Ferrarii, quæ in deliberativo versantur, multùm argutiarum continent, tamen ex illis quæ laudem prosequuntur, tum omnes nimio splendore rutilant, tum sequens.

Stephonii extincti laurus cupressina sive Oratio in ejusdem funere.

ERgo coronarium Stephonii nomen eruditissimo capiti, pro laurea funestæ cupressus omen fuit? Ergo Romanum singulari par eloquentiæ theatrum æxternum sepulchrum est? Debiti ergo canoræ gloriæ plausus, parentales lacrymæ sunt. Agite lacrymæ, tantisper in voces abite, dum vitæ fabulam suæ non eleganter minus claudenti, quàm tragicos Regum exitus canenti elegantissimo Pòëtæ suprema gratulatione plaudatis. Age lacrymis eloquẽtior, quàm vocibus dolor, quamvis inconditus, vocalis tamen erumpe. Extincta enim eloquentia, inconditam decet loquentiam ululare. Abiisti ex hac mortalitatis palæstra sine laurea canore victor: sed ipsa tibi cupressus in lauream abiit, hoc est, dignissimam coronâ vitam, mors honestissima coronavit. Ante immortalem laudabiliter obitæ mortis coronam,

diu

diu decumbens, affixusq; lectulo cũ graviſſimo, acutiſſimoq; morbo generosè colluctatus es. Jacentibûs enim, proſtratîsq; corporis viribꝰ, animi vis, ac virtus ab ipſa conſtantior, erectiorq; ruina, mole ſua, ſic ſtabat, ut in lectulo illo tanquam in ſcena virtutis videreris, Anthæi fabulam ſeriò dare Stephoni, qui cum graviſſimè decumberes, tum fortiſſimè aſſurgeres. Mirari jam deſino, quòd tragica funera ſplendidè ſcripſeris, qui mala ſuprema intrepidè toleraris. Iſtam enim in morbo robuſtam vivacem, in morte virtutem non adumbrarent alii, quàm Reges, heroesq; morituri. Heroicam hanc laudum coronidem tuarum, prædivinavit divina pòéſis tua, quando erudito primùm partu, theatralem in lucem, edidit fertilem cæli, terrarumq; theatro heroum parentem, Tyburtem heroinam, Sympheruſam: ut quoniam unum coronæ ſydus impar videbaris, numeroſa, fratres cum Matre, ſydera Pòétam ſuum illuſtri occaſu prævia coronarent. Cum corona triumphum mors fortiſſima merebatur. Hinc tuus ille Criſpus, tuo non minus carmine, quàm ſuo robore triumphalis, æque pro pudicitia in pace bellicoſus, ac pro Patria in bello pacis aſſertor, dum purpuratus candidæ virtutis miles, dato fortiter ſangvine, inter

theatri

theatri lacrymas triumphat, pulchre suo proludit Pòétæ cujus in ultimo vitæ actu, vultus veteranæ virtutis colore, suffusus non morientis, sed triumphantis fuit. Mors enim honesta, immortalitatis triumphus est. Quid à triumpho supersit præter imperium? Et hoc tibi animosè morituro tua Flavia Melpomene, pridem immortale præcinuit: cùm Cæsaris hæredes terrarum imperio majores, hoc est, magnæ indolis tuæ imagines, tanquam Cæli Cæsares generoso exitu præmisit in Cælum. Secutus es, Regios præcursores, (ut spes est) Cæli regno dignissimus, quod ipse tui Rex animi divinè regnaveris in terris. Potentem tui te regem una instar omnium testatur illa tuarum regina laudum, humanæ gratiæ, gloriæq; despicientia. Nam qui fieri poterat; quando quod vulgo fertur, non capit regnum duos: ut sapientissimi regia pectoris, quam totam imperatrix virtus occupârat, servilis ingenii collegam admitteret ambitionem? Testor extremas morientis preces, quibus impensè flagitabas ut nati ad immortalitatem partus ingenii tui parentalibus extincti flammis, tecum funerarentur. O! vocem ad ultimum usq; spiritum sibi imperantis animi planè imperatoriam! o votum jure Maroniano simillimum ut, qui magno geminus

minus Maroni, dum caneret, ſpendore carminis præfulſerat, par eidem, dum caderet, illuſtri flammarum voto, ſuo carmini, non minùs lucis afflaret. Pepercere tamen divinis utriusq; monumentis invocata incendia: ne cum Virgiliano Æneide, Trojana iterum potentia, cum Stephoniana verò eloquentia, Romana eximum gloria conflagraret. Quanquam non erat, cùr tuæ flammas eloquentiæ, Stephoni præcaveris, quomodo fluminaret ſine ingenioſo ardore? o! tonantis, o! fulminantis olim Stephonij latum prodigium. Tunc enìm verò intonuit lævum, bene tempeſtate ſerena. Etenìm quod è Stephonij ſuperſtitis facundia, ni ſerenitas naſceretur? Quid illum conſequatur extinctum, niſi turbulenta tempeſtas lacrymarum? noſtras lacrymas, & ſua gaudia, ſive obitus diem ſui, multò antè idem præſagiſſe ac prædixiſſe dicitur Stephonius. Cùr enim Divinus Romanæ ſvavitatis cygnus, ſine divinatione mortis, canorum ſpiritum expiraret. Sit quam felix tua mors, eodem qui die naſceris atq; occidis, quo Divina vitæ Mater concepta eſt? ut non tam natus ad mortem quam mortuus ad vitam eſſe videaris. Virgo igitur, quæ Deum terris te cælo peperit: quantus mortalitati moriaris quantus renaſceris immortalitati,

è ma-

è magnæ Parentis nobilitate interpretemur. Per lacteam vere Virginis viam, quò abires aliò, quàm ad Superos? Quis Divino Pòëtæ Parnassus aptior, quam cælum? quæ tibi musæ vocaliores, quam canori cælites? qui Apollo præsentior quam Deus? in isto jam felicitatis theatro nihil tragicum sonas ac lugubre sed inter cælestium concentus, ac plausus amorum, Deo, quo plenus es festivum canis Dithyrambum, ad clepsydram æternitatis. In istis victor Olympiis (quando mortalis laurea tuis minor meritis erat) immortalem lucis coronam refers; immo verò tu es tibi corona, quia Stephonius es. Nobis autem quid superest, nisi orbitas luctuosa sine te? Agite igitur, redite voces in lachrymas redite. Tanti enim viri jacturam & desiderium nulla potest eloquentior, quàm lachrimarum affluentia perorare.

Quamvis multîs festivitatibûs, imbuta sit hæc Oratio, tamen semper orationis nomen merebatur.

Ingenii nempe sui humanissimam secutus Author indolem, ad decori regulam dixit & nomen Oratoris non amisit.

Jovita. Habesnè Faustine aliquam

sva-

svadam Polono idiomate expressam, cujus splendida elocutio suis radiîs cunctorum oculos perstringat.

Faustinus. Subest mihi ad manum Oratio Jllustrissimi MASSALSKI Palatini Mscislaviensis, nunc Campi Ducis M. D. Litt: Cast: Troc: olim Maresch: Comi: Convocationis Regni, habitorum Anno 1733. Hic admirabilem ingenii sui felicitatem atq; splendorem, argumentô suæ Orationis comprobat.

ORATIO
Palatini Mscislaviensis.

NA tym placu wolności, gdźie *omnis Nobilitas & omnes Latii soboles convenit in unum, quidquid in orbe fuit,* zebrane liczne *patriæ decora,* obrona Chrześćianstwa, naymocnieyszy mur swobod Oyczystych, postrach y pogrom nieprzyiacioł, że nie trzeba się tak dalece pytać: *Dic quibus in terris nascuntur nomine Regum inscripti flores,* treść y essencya ozdob Panstwa tego *cælo nota notaq; nomina,* gdy opatruię, według zwyczaiu y prawá podnosząc stárą laske, schylam głowę *in venerationem* wszystkich JchMściow *& distin-*

stin-



Stinctiſſimum káżdego z oſobna *cultum*, formuiąc dobre *augurium* radom naſzym ſtarożytności przykłádem, ktora *volucrum lingvis & præpetis omine pennæ magnorum exclamat fata bonorum.* Z lotu Orła Oyczyſtego, ktory ná blaſk przyſzłego ſłońca wzbiia ſię w gorę w noſząc ſię wolnym *ſub libero Jove* popławem, nieśie ná wálecznych barkach *gloriam gentis*, ſłáwa ná záſzczyt Oyczyzny ná zráženie poſtronnych niechęći *volucrumq; potens & fulminis hæres geſturus ſummo tela triſcula Jovi.* Ciągną zá nim, przy niezliczoney potędze, *non degeneres Aquilæ*, Synowie Koronni, *gens & campis & equis & tuta ſagittis.* Stáwa goniec Litewſki nieprzełámáną maiąc tarczę *clypeum truces porrectum in hoſtes*, ná záſłone *à telis invidiæ* ſąśiedzkiey nieprzyiáźni. Oto w otwartym polu widziemy *fatis expoſitam* Krolestwa náſzego *coronam*, á w niey gdy ſię lśni *ut pretium ſine pretio* nieoſzácowáney wolności Kleynot precz z tąd uſtąpić muſzą Kolchickich ſkarbow *Vigiliæ, centeno lumine centenis oculis* obwarowáne, kiedy przezornego oka Orzeł Koronny, *grandis Aquila* rozćiąga niezwyćiężone ſkrzydła, ná záchowánie y obronę *caræ libertatis;* záraz *in excubiis* Palemońſki Rycerz, dźielności y męſtwa, *mille clypeis*

peis armatura fortium uzbroiony z pod ták pilney y mocney ſtraży, niewykráduie nam pewnie poſtronnych *livor, fortunam Imperii;* nie weźmie tego złotego iábłka, chyba *digniſſimus*, nie uczuie w nim ſmaku *falſus appetitus extraneorum* y te Berło tákiego Kandydata, oddane w ręce będźie, ktoryby w wolnym národźie urodźiwſzy ſię, *ad lene imperium*, przyzwyczáiony *langvida regnet manu:* ten podnieśie *Regium diademma*, ktoremu záwſze *pretioſa libertas*. Wſpániałego umysłu Orle Polſki *volucrum generoſa propago*, nieuwodź ſię tylko właſnych chęći obłowem, nie day ſię wabić podeyrzranym pokarmem, ktory ći Cudzoziemſka prezentować może ambicya pokázuiąc *eſcam ut capiare.* Niewierz ucukrowanym ponętom iáko więc kiedy *piſcator adornat hamum ut guſtum perſvadeat mortis.*

Tu teraz twoy lot y żywot. Znać ſię trzeba że to ſą *vitioſa illicia* żeby ſię zlecić y ulgnać nie tylko ſędziwą przez ták wiele wiekow, po obszernym Krolestwa tego buiaiąc niebie, wybiełáły cwiczyzną, ále nie zmázáney do tych czás cnoty *Candore notabilis ales*, rozumiem że niechceſz zábrudzać miłego BOGU y ludźiom, poprzysiężoney wiary, kandoru, oſobliwym niedotrzymánia czernidłem.

Zápá-

Zápátruię ſię ná nas świat cáły *conveniunt cunctæ ex orbe aquilæ, ut ſolis mirentur avem.* Wyświećiliby ták wielką zmázę *exteri ſoles*, ktorzy ći teraz wzrok obłudnym nieſzczerośći obłokiem przyćmić, czy też fałſzywym łudźić uśiłuią pozorem. Mieyże ſię ná oſtrożnośći à nie zápátruy ſię ná znikome świátło *& geminos ſoles mirari deſinat orbis.* Azáli nie doználiśmy żáłoſną experiencyą, że *nunquam ſpectatur impune cometa.* Obeyrzy ſię ieno, ná przyrodzone tobie y ztąd przychylnieyſze domowe ſłońce: á ták upewniam że w nim przeglądáiąc ſię, náſyćiſz ſię *usq; ad delicias.* Jużże tedy *bonis avibus bona avis* tam zmierzay y dąży gdźie przodkow cnota Staropolſka Praw y wolność, i żarliwość *& amor recti* wokować będźie. Poſtępuy Litewſka Pogoni chwalebnym krokiem *indiſſolubilis unionis vinculo*, z przężona z Orłem, tam gdźie ſtarożytna podśćiwość y ſłáwá prowadźić będźie. Idź *per veſtigia Patrum*, nie zátartą piaſkiem niepamięći drogą, ále znácznym y utorowánym *à majoribus* tráktem. Strzeż ſię, ábyś ſię nie podknął y nieobráźił *ad lapidem offenſionis.* Ktore przez niechętnych ſąśiadow máchinácye *ſub cinere doloſo* záſadzone miiać będźieſz. Trzymay ſię tylko ná wodzy, nie

zrywaiąc

zrywáiąc práwem włożonego obowiązku á ták pręcey y bez żádnego błędu *monstrante lege ad metam votorum*, przyść będźiemy mogli, ktore *indigitat* nam, ábyśmy przystąpili do obrania Marszałka, do ktorego y iá uprászam *Componite mentem ad magnum virtutis opus*.

Jovita. Hæc Oratio ut splendida ita & jucundissima stylo: mihi tamen videtur Oratorum usui repugnare. Etenim longiùs producit Allegoriam, quod ipso consentiente Cicerone Sect. 47. hic reg: 5ta Oratoribus repugnat. Ergo hæc Pòética magis quàm Oratorum censenda est.


Faustinus. Nescio cur hoc nomen, *elocutio Pòética*, tibi superstitiosum sit & quasi fascinus. Etenim, si elocutio non solùm illa pòética est, quæ nimis splendidè sed quæ etiam licentiosè excurrit, ac in troporum usu omnia penè laxat fræna, quam licentiam si allegoria æmulatur, reijcitur à Rhetoribus: illa tamen quæ jucunditatem præfert, & intelligendi, facilitatem, si inventio solida subsit, & suo loco adhibeatur, approbari debet. Huic porro svadæ argumentum tum clarum omnibus, tum solidum, nec probationes tantoperè emendicat. Cui enim nobilium non fuerat perspicuum? non debere in electione Regis largitione exterorum

corrumpi animos civium? Cui obſcurum, in ferendis pro Rege novo ſuffragiis alienum oportere eſſe â civibus diſſidium? Perſpicuitas itaq; materiæ, auguſtus totius regni conventus, ingens conſilii Majeſtas, demum ipſum comitiorum exordium (in exordiis enim captantur animi, & toti audientium ſpiritus, occupantur) hanc ſplendidam exigebat orationẽ; nec hic quisquam faceſſat negotium, judiciô Mareſchalci Regni Stanislai Lubomirii, qui in ſuo Artaxerxe & Evandro, titulo de eloquentia, Polonorum facundiam à Barbara Turcarum Scitharumq; eò diſtingvit, quòd hi poſtquam in allegoriam cæli intraverunt ita omnia ſydera pervagantur, ut vix mediâ horâ cæleſtibus illis Labyrinthis ſe ſe expedire poſſint. Quod quidem vitium ſuperbiæ ſtimulô, in orationes illorum incurrit, ut altiſſimam illam luminum ſedem, oratione conſcendant, ac ex illa non facile ſtylum demittant. Hæc verò Palatini oratio quamvis producat imaginem Aquilæ Polonæ, nec non Litvaniæ equitis per Metonimiam allegoricam, tamen mediâ horâ nec cum aquila volat, nec cum caballo currit, ſed menſuram ſatis aptam ſervat. Cui cum rationes ſupra allatæ accedunt, honeſtiſſimum orationis charactérem præſefert ſvada.

Quamvis

Quāvis verò hæc oratio Pòëtico splē-dore effulgeat, minimè inde sibi cōtem-ptum parit. Etenim non ideo oratio censuras meretur, quòd à Pòëtarum cythara verborum gratias & svavitatē vendicet. In hunc sensum cadit Tacitus in dialogo de causis corruptæ eloquentiæ. *Præcurrit hoc tempore Judex dicentem, & nisi aut cursu argumentorum, aut colore sententiarum, aut nitore & cultu descriptionum, invitatus & corruptus est, aversatur dicentem. Vulgus quoque assistentium, & affluens & vagus auditor, assvevit jam exigere lætitiam & pulchritudinem Orationis, nec magis perfert, in judicijs tristem & impexam antiquitatem, quā si quis in scena Roscii aut Turpionis, Ambivii exprimere gestus velit. Jam verò Juvenes & in ipsa studiorum incude positi, qui profectûs sui causâ Oratores sectantur, non solùm audire, sed etiam referre domum, aliquid illustre, & dignum memoriâ volunt, traduntq; invicem, ac sæpe in colonias ac Provincias suas scribunt, sive in suis aliquis,*

arguta & brevi ſententiâ effulſit, ſive locus exquiſitô & Pòéticô cultu enituit. Exigitur enim jam ab Oratore Pòéticus decor, nō Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, ſed ex Horatii & Virgilii, & Lucani ſacrario prolatus. Horum igitur auribus & judiciis obtemperans, noſtrorum Oratorum ætas, pulchrior & ornatior extitit. Neq; ideo minus efficaces ſunt Orationes noſtræ, quia ad aures judicantium, cum voluptate perveniunt. Quid enim ſi infirmiora horum temporum templa credas, quia non rudi cæmento, & informibus tegulis exſtruuntur, ſed marmore nitent & auro radiant. Nec obeſt quòd hæc Polona ſvada, non ita commodè in Latinum reddi poteſt, cum in lingva Latia non reperias tot verba ſimili famulantia, quibus tam exacte ut Polonis vocibus ſenſus inveſtiri poteſt. Ad cætera breviter perſtringenda craſtina dies te Jovita expectat.



PARS

PARS QUINTA

COLLOQVIUM TERTIUM

Examinat Rhetorum monumenta.

FAustinus. Gratum habeo quòd ad me ut poſtulavi veneris, Jovita. Jucundô ſemper tuo delector conſortiô ſed maximè humanioris literaturæ ſtudiô. Vellem hodie diſſerere de variis monumentis eloquentiæ, an illorum vitioſi reddantur authores.

Jovita. Mi Fauſtine ſapor argutæ orationis, ita deſipuit mihi, ut meritò reiiciendæ eſſent tantæ orationum copiæ, quibus noſtris Mecænatibus teſtamur humanitatis officia. Præcautum certè foret ne hæc inſipida, id eſt arguta tum intra ſcholas, tum extra vigeat oratio, ſed ſatis duco, ſi unus pro omnibus oratorem agat.

Fauſtinus. Utinam adhuc epigrammata ſuſtuliſſes pari titulo, ne arguta

nascantur ingenia. Quare unam non nisi tibiam orationis solidæ inflare tibi gnaro parcendum est. Ego instituta Oratorum persequar.

Sectio 93.

Salutationes hospitum.

SAlutatio hospitis, solido quidem sermone expediri potest: sed si frequens fuerit contemptum parit.

Nihil enim in illa dicitur nisi lætitiæ significatio, quæ sive Epigrammate sive arguta oratione, sive svadâ germanè Oratoria præsentabitur, perinde est. Cum omnis id dicat: *Lætor tuo adventu*: Sed alio artificiô Orator, alio ligatus Pòëta, alio solutus: hæcq; salutatio huic familiaris est arti, cum non convincendi titulo persolvit officium, sed delectandi: aut grati animi significatione.

Germano

Germanè Oratoria ſalutatio eſto ex Tarquinio Gallutio Soc: JESU Archi-Rhetore Romano dicta Legato Henrici 4ti Galliæ Regis Niveınenſiū Duci in Claſſe Rhetorica.

Patieris Excellentiſſime Princeps à me quàm pauciſſimis appellari, quando hujus Academiæ ſpatiis inviſendis, laureati Pompeii clariſſimi olim Imperatoris, exempla renovaſti. Quanquam enim intelligimus eos hic neq; Rhetores, neq; Philoſophos inveniri à te poſſe, quos ille Rhodi, Athenis audivit, ejus tamen viri triumphalis, in te quandam velut imaginem intuemur, cum ea triumphi ſpecies adhuc animis obſervatur, qua publicè proximis ſuperioribus diebus exceptus tota urbe, ſumma omnium acclamatione gradiebaris. In mentem ſibi redigere conabantur, quidquid unquam ſuos oculos oblectare poſſet, præteritis jam temporibus aſpexiſſent, reputabant, quot Regum atq; Imperatorum Legati, quot viri Principes ad hanc urbem venerandam apparatiſſimo quondam cultu convolaſſent, omnem deniq; anteactæ memoriam ætatis animo replicabant, nec tamen ullum ſibi ſpectaculum, aut pulchrius quàm illud, aut magnificentius objectum recordabantur: At in qua Urbe iſta dicebant ſapien-

ſapientiſſimi Viri? in ea, ubi Cives admirabilibus quotidie rebus inſpiciendis aſvefacti, prope nihil admirari didicerunt.

Nemo, nemo nobilium Gallorum ordines illos, bene longos velut apparitores, ac ſtipatores tuos, in ea pompa cernebat, nemo eorũ habitum veſtitum, proceritatem, vultum ipſum, militarem prope modum artem præſeferentem intuebatur, qui non diceret, tales omnino fuiſſe antiquos illos Galliæ bellatores, qui ſub Ludovicis, Gotfridis, Baldvinis, cæterisq; primi nominis Ducibus, orientis ſolis, ampliſſima Regna, victoriis, triumphîsq; luſtrarunt, atq; auguſtiſſimum illud noſtri liberatoris ſepulchrum in libertatem olim aſſeruerunt. Nemo in te ipſum, oculos, eo die conjiciebat, qui Henricum potentiſſimum, clariſſimumq; Galliæ Regem, cujus in agmine perſonam, ſumma cum dignitate ſuſtinebas, ſe cernere non putaret, ſibiq; animo fingeret, quos honores, quæ populi ſtudia, plauſus, quos ille clamores, atq; admirationes eſſet, habiturus, ſi unquam hæc mænia, atq; hoc orbis terræ theatrum, ingrederetur. Romanorum enim omnium atq; adeò gentium univerſarum ſermone, perhibetur, tanta virtute, tantâ fortunâ, clementiâ, tanta liberalitate, florentiſſimus ille Rex, &

quo-

quorum corporibus, dictione ac potestate non imperat, in eorum animis, amore ac benevolentia dominatur. Mirantur in eo tantum ornamentorum omnium, virtutumq; concentum, ut fortuna cum ratione, cum hilaritate severitas, humanitas cum Majestate quasi cum acutis gravia, ut fieri solet in fidibus, proportione concordent. Mirantur talem, ac tantam Regiæ placabilitatis lucem obortam esse, quasi Cæli serenitatem, post turbines tempestatesq; bellorum, quæ ad augendam hujus tranquillitatis gratiam, summo cum Regni discrimine antecesserunt. Vident gravissimum quidem tumultibûs illis civilibus toti Galliæ fuisse vulnus impositum, sed si nulla erat alia ratio, quæ tantum virum Regni gubernaculis admoveret, prope est, ut exclament, eo vulnere parandam fuisse tantam Reipublicæ sanitatem.

Hanc igitur Excellentissime Princeps, illo spectaculo publicam tu populo, communemq; lætitiam omnibus attulisti, verum tamen quia nos nostrumq; ipsorum ordinem, singulari benevolentiâ complecteris voluisti hodierna luce nobis esse propriam privatamq; gratulationem, quam ea die oportuit esse latepatentem ac popularem. Sequeris videlicet ac hæreditariam putas, optimi Parentis tui perbenignam in nos volun-

voluntatem: ipſum Henricum Regem æmularis, qui cum in omni vitæ parte moderatiſſimus, & habeatur, & ſit, hoc unum mediocritatis confinium tranſiliiſſe videtur, quòd plus nimiò ſit in nos prolixus ac liberalis. Horum inquam tu ſecutus exempla traditis nobis, ædificatisq; in tua ditione Collegiis atq; Academiis, parum animo tuo ſatisfeciſſe videbaris, niſi Romam publica cum legatione profectus, eos in alieno ſolo beneficiis cumulares, quos haud mediocriter oneraras in tuo.

Fortunatiſſimi profectò judicamur, quòd tantæ à vobis exiſtant in nobis benevolentiæ ſignificationes, quòd muſæ noſtræ manſvetiores Gallicum Herculem, ad ſuam tutelam armatum intueantnr. Sed minus in tanta fortuna fortunatiſſimus, quòd noſtra impeditos tenuitate, vivere nos oporteat magnitudini tantæ, tam notæ liberalitatis ingratos. Tamen quod etiam ab hac mediocritate ſperare licet, omnium nomine habeo minime fortaſſe contemnendam, tamen magno pro merito, repromittere gratiam. Quandiu enim Doctorum vocibus hæc Gymnaſia perſonabunt, quandiu hic hominum ordo conſtiterit, quandiu hæ qualescunq; literæ noſtræ loquentur, tandiu veſtram liberalitatem, veſtram religionem, veſtra in nos officia, prædicabunt.

2da Sa-

2da Salutatio Ferdinandi Cardinalis Gonzagæ in Classe Rhetorica ejusdem Archi-Rhetoris.

Inusitatum aliquod ac novum à me gratiarum postulat genus, ista prolixitas incredibilis, ac singularis humanitatis tuæ Jllustrissime Princeps, de quo mihi repente occupato cogitanti venit in mentem, oratorum deserere leges, ac in ipsa Pòétarum castra subito convolare. Cum enim partes attendo meas qui cum cæteris hujus Gymnasii Præceptoribus comparatus, istius hodie benignitatis quasi florem deibo, publicè primus, cujus ante privatim halbui sæpe à te significationes haud obscuras, cum inaudita quædam, ac prope Divina in commune nostrum ipsorum nomen, à familia vestra, profecta beneficia, cum istum splendorē intueor, & Gentis & tuum, rerum tum gravitate, tum multitudine, interceptus, pene cogor hoc initio, Pòétarum more, musarum opem implorare, ut mihi præeant, verba facturo, aut aliquem deducere, per machinam è Cælo DEUM, qui callidè nodum solvat, aperiatq; illico viam, quam inertiæ meæ plus nimio impeditam esse video ac salebrosam.

Sed quoniam, id Oratori agere, novo exemplo non licet, nec quas agam reperio gratias bene-

beneficio pares, Regem illum imitabor Evandrum, qui Æneam humili ac stramineo accepturus hospitio, satis habuit, inopiam profiteri suam, & Divinum hospitem ad divitiarum contemptionem adhortari: quarum intra illa mapalia nullam esset omnino copiam inventurus. Quid? an non ego etiam, cum de me, de te ipso cogito Princeps Jllustrissime, hodierna luce dicere meritò possum.

Aude hospes contemnere opes & te quoq; dignum
Finge DEO, rebusq; veni non asper egenis.

Reputabat animo, cum hæc diceret Rex ille pastoritius, ac plane pastor, quàm lautè quàm magnificè habendus esset is, quem non dico à potentissimis Asiæ Regibus, sed à Diis ipsis immortalibus originem ac genus deducere intelligebat. Ego non idem de tua dignitate de rationibus sentiam meis, cum Regias illas nominis vestri clientelas, affinitates, necessitudines propinquitates evolvo, quibus omnia jam penè terrarum orbis imperia, & dominatus attingitis: cum seriem illam retexo Majorum & veteres novasq; gentilium tuorum imagines recolo, in quibus non Duces modo Imperatoresq; fortissimos intuemur, sed eos quoq; numerare incipimus, quorum virtuti Aræ in templis, ac sacra vota, Diviniq; prorsus honores,

com-

communi gentium omnium prærogativâ deferuntur.

Dicebat hæc Evander quòd eum se nactum hospitem esse sciret, cum quo, nemo de prudentia posset, de religione, de virtute contendere. Idem ego non dixerim, qui te intra parietes hosce repente conspiciam, cui singularem sapientiam, atq; infinitam illam rerum humanarum, cælestiumq; cognitionem, non aliqua dedisse videtur institutio, sed ipsa propemodum indidisse ac penitus insevisse natura? DEUS immortalis quanta se prodit in ista ætatis parte, hoc est in primo adolescentiæ flore, rerum naturalium, civilium, Divinarumq; scientia? quantum acumen ingenii? quantâ memoriæ vî? quanta lingvarum peritia? quantũ eloquentiæ flumen? Liberat me palpandi suspicione secunda Romæ totius admurmuratio, quæ liberalium istam in te disciplinarum omnium complexionem, suspicit impensè ac velut humana majorem admiratur: liberat ista Senatoria purpura, quam & si admodum adolescens accepisti, sapientiâ tamen & doctrinâ jam meritus eras. Liberat illa percelebris fama pueritiæ tuæ, quæ provectam doctissimorum hominum ætatem, judicii scientiæq; laude anteire, ac longo superare intervallo dicebatur.

Unus

Unus profecto Cyrus ſapientiſſimus ille puer, qui apud Perſas alebatur in ſpem Imperii, videbatur eſſe, qui tecum poſſet aliqua ratione conferri: eum tamen accepimus: non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad perfectæ inſtitutionis effigiem fuiſſe deſcriptum ab iis, qui quoniam eam optabant in terris indolem, & reperire ſe aliquando poſſe diffidebant, maluerunt comminiſci, quam eam ampliùs inter vivos deſiderari, nihil in te requirere poſſint hi, nihil fingere debuiſſent, ſi ſemel iſtam indolem intuiti eſſent. Vix ad eam veneris pueritiæ partem, in qua cæteri loqui ſciunt, cum eloqui jam cæperas, atq; oratoriè declamare. Vix æquales tui ejus lingvæ ſermonem, quam haurimus à nutricib9 abſolutè didicerant, cum tu tam multas & tam varias jam callebas, ut Mitridatis exempla mortalibus, unus omnium renovaturus eſſe videreris. Vix per ætatem ac rationis uſuram, ſapere cæteris licet, cum animum tu omnibus jam diſciplinîs imbueras, nec aliud ignorabas, niſi quod humanum ingenium aſſequi cogitatione non poteſt. Deniq; lex illa naturæ, quæ nil ad faſtigium perduci ſubito patitur, jus omne tibi remiſerat, dederatq; quodammodo veniam, ut non per partes quemadmodum cæteri, ſed una omnes liberales diſciplinas acciperes, non paulatim

latim gradereris & ſenſim, ſed confeſtim ac è veſtigio pervenires ad ſummum; non doctrinæ magiſtrum ac præceptorem haberes aliquem, ſed inſtitutorem, auctoremq; conſuleres animum tuum.

Ita tu mentem iſtam præclaris imbutam artibus, omnium victricem voluptatum, carentem vitiô, pudicam, atq; innocentem ad pubertatem usq; deduxiſti. Et quia vix exceſſeras, cum digniſſimus habitus es, cui cum graviſſimis Chriſtianæ Reipublicæ Senatoribus, cum doctiſſimis, & rerum omnium uſu exercitatiſſimis Patribus, cum ipſo DEI Parentis interprete terrarumq; moderatore Pontifice, de Religione, de Imperio de populorum jure, de gentium omnium ſempiterna poſt obitum ſalute ac gloria delibarares. Nihil attinet dicere, quantum in hoc concilio ſpecimen abſolutæ ſapientiæ dederis, in omnium enim ore ac laude verſaris, qui tatũ rerum admirantur in adoleſcente judicium, tantam in deliberatione prudentiam, tantam juris humani diviniq; cognitionem, tantam eloquentiæ copiam, tantam oris, ac totius actionis in dicendo dignitatem.

Jllas tantum à me commemorari debere intelligo mitiores, amabilioresq; virtutes animi tui, quæ multo maximè nobilitatem iſtam, atq;

addita

additam nobilitati purpuram illustrarunt. Quotus enim quisq; morum illam svavitatem, ac jucunditatem orationis degustat aliquando tuæ, qui tecum esse tuaq; consvetudine ac benevolentia frui non beatissimum putet? Quotusquisq; moderationem istam intuetur, qui nō omnino decernat, unum te deniq; in paucissimis extitisse, qui cum dignitate, sapientia, nobilitate plurimis antecellas, modestiâ tamen & facilitate par omnibus videri esse velis.

Habes amplam urbis Romæ omniumq; qui te nôrunt etiam in hoc genere testificationem: à nobis autem hodierna die, qua istius præsentiæ pulcherrima luce sic honestamur, habere deberes amplissimam. Sed scimus nullam posse esse tam exaggeratā orationem, aut prædicationem benignitatis tuæ, quæ beneficium istud, ne minima quidem ex parte possit æquare. Conamur quidem certè non solùm hac voce quæ nulla est, sed pictis etiam intra domesticos parietes argumentis, istius beneficentiæ laudes exprimere, sed hoc ipso tandem conatu aut plus agere nos intelligimus quam ageret is, qui Xerxis enumeraturus copias, postremam eamq; minimam exercitus partem explicaret.

Cæterum in rebus tam augustis illud con-
solatur

solatur & recreat mediocritatem nostram, quod quemadmodum æquandæ gratiæ facultem, fortuna nostra non habet, sic parem beneficii remunerationem non postulat tua.

Privatorum illa fortuna est, quæ requirit æqualitatem officii: Principum promerita, quod dixit ille, ita quadam quasi majestate præcellunt, ut mutua, non reposcant. Detur hoc ergo magnitudini tuæ Jllustrissime Princeps, ut cum omnia, quæ facultas nostra patitur & ratio, persolverimus, omnia tamen officiis istis & vestræ felicitati debeamus.

Altera Pòëtica salutatio, aut si cui placet arguta Oratio. Salutatio Judicum quæ intercessit inter Pascha ac 8vam Maij.

Etiam nobis litem, ipsa intendit humanitas, & reos tarditatis pertrahit ad Tribunal Jllustrissimi Judices. Salutationis officia, & sane hoc urbanioris ingenii tormentum, distulimus ultra Crucem, ac si gratiam oratio invenire nequisset, nisi dum Helena Crucem reperit. Expectatum donec nos ipse propemodum remus impelleret, urgerent lanceæ Adalberti, ac emortuam & Quadragesimæ cineribus insepul

tam facundiam cum Petrovino excitaret Stanislaus. Expectandum fuerat, donec à Boleslao aliquantum audaciæ in accessu, ab Avita Stanislai sesquicruce traheremus &c.

Hæc oratio arguta est, & pòëtica variando sermoni apta & juvenibus congruens, nec nec ideo contemnenda, quis enim juvenum prætextam insectatur, quòd suis adultis non sit apta lacertis? aut quis filiolum in Patris calceo ambulare compellit? Tamen gravis oratio eaq; unica, juvenibus obtruditur! Quantus hic providentiæ defectus? Quid vero si gravissimi Sanctissimiq; viri easdem argutias consectantur? Quid si Doctores sacri? Interpretes scripturarum: explanatores Hierogliphicorum, stemmatum & insignium. Nonne ibi tota res ab argutiis ceu cardine pendet? Adde hanc orationem etiam à solidis Oratoribus usurpari pro exordio vel lumine. juxta Sect: 61. & 63.

Idem esto judicium de gratulatoriis hono-

honorum, si aut frequentes sint, aut, à juvenibus dicantur, aut ipsa materia sit perspicua, aut Auditoris sui genius amet svavitatem dictionis, locum esse arguto stylo, quia in hisce aplausibus sola aurium quæritur delectatio.

Sectio. 94.

Dedicatio Librorum.

DEdicatio librorum potest formari ad Encyclopædiæ nostræ regulas, potest quoq; hoc arguto ac leni dicendi genere depromi. Id luculenter exhibet dedicatio suarum orationū Cardinali Ursino data ab Archi-Rhetore Romano, Pontificio Oratore posita hic Sect: 92.

Dedicatio Thesium.

THesium dedicatio, quamvis attollere Mæcenatem debeat, ex eo, quòd foveat scientias atq; illarū splendorem promoveat, tamen ne in tanta dedicationum copia idem omnes di-

cerent Philoſophi, ideo advocarunt ſibi argutum ſtylum per Allegoriam Metonimicam trahendo eundem ſenſum. *Tibi dedico Philoſophiam aut Theologiam.* Qui, quoniam nulli bono, impedimento ſunt, nihilq́ in Mecænate efficere tenentur, cum antea præventus rudiore ſermone, ſuſceperit Theſium patrocinium, ideo hi ſuo relinquantur arbitrio.

Oratio Theſium dedicatoria ſuffragiô Encyclopædiæ formata, adeoq́; Oratoria germanè, facta Eminentiſſimo Principi Card: Gvadagni à Vincentio Salvi.

SUnt qui putant Princeps Eminentiſſime Philoſophiam, quæ in Dialecticis diſputationibus, & in naturæ contemplatione verſatur, aut inutile quidquam eſſe & hominis ſanè parum induſtrii, aut ad eos ſolùm pertinere, qui cum nihil rerum ſuarum habeant, quòd curent, & otio diffluant, toti in eo ſunt, ut in ipſa veritatis luce tenebras quærant, & inania rerum ſimula-

mulacra, tricasq; omnes, si quæ unquam sunt, ex ipsa vetustatis ruinâ eruere diligenter, & aucupari videantur. Qua in re qui ita sentiunt, ii profectò, neq; hominis dignitati, quæ in intelligendo posita maximè est, neq; Reipub: commodis, quæ à recta cogitandi, disserendiq; ratione tanquam à semine fructus existunt, prorsus inserviunt. Ut enim cætera, quæ à nobilissima facultate in nos derivantur emolumenta, quodq; summorum virorum usq; ad nostram ætatem de ea judicium fuerit prætermittam; quàm porro præclarum est ac singulare, eò cogitatione, animoq; procedere, quò oculis pervenire non licet, & quæ in immensitate naturæ veluti gemmæ in conchis sepulta latent, è tenebras evocare, & tanquam in conspectu posita, aptè distinctèq; cognoscere; quã verò utile, & plenum dignitatis ac voluptatis naturalium rerum causas perscrutari, & in veri cognitione, quam maximis difficultatibus circumsepsit natura, cum laude versari. Quod cum per se satis perspicuum est, tum etiam judicio tuo, gratulor esse comprobatum Cardinalis Amplissimè, ex quo enim me supplicem, ut propositas theses tuo nomine illustrari velles adeò benevolè, atq; humaniter excepisti, quid de hac Philosophandi ratione sentias, quové in

numero præclarissimam disciplinam habeas, faciiè declârasti; quæ profectò si vocem haberet, & ipsa per se loqui posset maximas tibi ageret, gratias; & incredibili quodam voluptatis sensu caperetur, quòd ejus splendorem ac dignitatem authoritate tua confirmare voluisti. Non enim tu, qui sapientissimus idem judicando, ac prudentissimus in agendo es, cum tantam gravissimorum negotiorum tuis impositam humeris molem sustineas, vel minimam temporis partem iis curis, quas pro Ecclesiastica dignitate tuenda, & juvandis omnibus suscipis, detractam velles, nisi nostra hæc inquibus versamur, probares studia, & utilitatis non parum ac commodi, ad rectè sapienterq; in gravioribus disciplinis elaborandum, ex iis proficisci judicares. Fruar ergo beneficio hoc tuo Princeps Eminentissime, & quando te præsentem licet intueri, nec ab alia amplitudine ac dignitate, quæ cæteris præstas, alienum ducis Philosophiæ patrocinium suscipere alacritatem omnem, quam mihi ingenii mei tenuitas detráheret, sumam ab illa tua magnitudine, atq; præstantia, quæ me examinaret potius, atq; à suscepto consilio deterreret, nisi cum tanta humanitate conjunctam & bonarum artium dignitati fovendæ mirificè addictā esse cognoscerē.

Neq;

Neq; verò exiguum laboribus meis responde-re fructum putavero, si id Tuum consequar, ut meum hoc qualecunq; in te officii genus, tibi non displicuisse intelligam.

Dedicatio Thesium Mecænati cui stemma lituus, stylô Pòético.

EXacto in literali arena certamine iterum Athleta descendit ad prælium N. N. Descendit certe sed non alio, tuô non nisi provocatus lituô, strenuè in hoc honori tuo dicato certamine, pro laurea emeritæ fronti certaturus. Et jam præripuisse videtur palmam, dum triumphum ante victoriam jam canere intendit Agonotheta, ut pote ad gentilitiarum Tubarum clangorem ad quarum sonitum. &c.

In hac Oratione allegoria metonimica trahitur continuo, ex parte Mecænatis; quia lituus ille tanquam signũ indicat Thesium protectorem & adjuncta Philosophiæ indicant ipsam Philosophiam.

Sectio 95.

Legatorum Oratio.

LEgatorum sermo gravis sit clarus &

vigori

vigori animi ſvadæq́, conjunctus: de hoc ſatis conſtat, ex iis quæ in defenſione Oſſolinianarum orationum & Malogonellii Sectio: 76. expoſuimus.

Epiſtolæ.

Fauſtinus. In epiſtolis ſcriptor reſpiciat materiæ gravitatem: Perſonæ, cui ſcribit maturitatem, & ſuam conjunctionem cū eo cui ſcribit: nempe an amicitiæ neceſſitate ſit conjunctus, an verò diſpari fortunæ gradu ſeparatus. Quoniam literarum ſtylus familiari ſermoni ſubſtituitur, ideo quæcunq; ornamenta hic ſuſcipit, eadem admittunt epiſtolæ. Valent itaq; ut in ſermone conſveto & familiari, ſic in epiſtolis non modo graves rationes, verùm argutæ, non modo hæ ſed & ænigmata, ſed joci, ſimilia, allegoria, quia his omnibus conſveta colloquia utuntur.

Jovita. Extra orbitam forſitan Fauſtine agam, ſi ſermoni de epiſtolis, prout fecit non nemo, inſeram amplifica-

tio-

tionem hujus sententiæ. *Plerìq; Principum potius sunt Tyranni quam Reges.* Hanc ego legi in Critice pagina 126.

Amplificatio.

Odor Tyrannis optimus, sudoris alieni lucrum. Offendit nares regias flos Reipublicæ eximius. Sordere malunt Civico cruore, quã famæ optimæ captare auram. Dulcis regnandi libido, in severitatis ne dicam Tyrannidis acorem degenerat, svavia Regnorum poma, raro absq; edaci verme quo rodant populos. Pro pudor omnis ferè coronarum gloria, inglorios reddere cives. Adorari aliter nesciunt, nisi depositis è cervice Civium capitibûs.

Jovita. Imitari Senecam, Author hujus orationis, conatus.

At quis iste novus ineptusq; Seneca! ubi gravitas, ubi claritas, ubi sententia? an fortè in hac cogitatione elucet Seneca? *Offendit nares regias flos Reipubli*: An in hac imaginatione *Regnorum poma raro absq; edaci verme, quo rodant populos.*

Faustinus. Si aliquando plenè naturam

ram ſplendidioris ſtyli delibaſſes Jovita, nunquam ſuſpicionem vitii huic injeciſſes amplificationi, quæ ideo meretur abrogari, quod Metaphoris Allegoriisq; inveſtita, præſtantis favi in oratione præfert guſtum, nam remota, ſimilitudinum veſte, ita eandem orationem proponamus.

Amplificatio eadē Oratoriè transformata.

Amant Tyranni Civium labores, in ſua revocare lucra; felicitas Reipublicæ hiſce Regibꝰ invidiam parit. Malunt famam crudelitatis, cæde Civium ſectari quam gloriam clementiâ. Raro Reges ſunt, qui populum non affligant atq; rodant. Pro pudor omnis fere Principum gloria eſt, inglorios Cives reddere. Cultum Majeſtatis non aliter à Civibus eliciunt, niſi damnatis ad ictum lictoris, caput enſe auferant. &c.

Jlla itaq; prior integra amplificatio, Senecæ brevitate pertincta eſt: addit brevitati & ſententiis, ſplendorem verborum. Ergo in omni ſenſu elucet Sene-

Seneca, ſed omne inciſum exſtingvit fulgore ſuo eloquentiam Senecæ, cum tropis abundet. Quare commata illa, & ſi non eſſent miſta Allegoria, ſed potiùs ænigma, tamen valerent in hac amplificatione, cum ænigmata valeant in familiari ſermore, modo non plenè obſcura ſint, & extatica & ex antecedenti vel conſequente ſenſu pateant.

Jovita. At nimis Oratorum jocos & lepores, hujus quicunq; author amplificationis, adhibuit ad hanc dilatationē.

Fauſtinus. Huic cenſuræ tuæ id objiciendum puto, à Parente præfatæ dilatiunculæ quod Plinius Epiſtolâ ad Ariſtonem de ſuis ſcriptis. *Rideo, jocor, ludo, utq; omnia innoxiæ remiſſionis genera breviter amplectar, homo ſum. Nec verò moleſtè fero hanc eſſe de moribus meis exiſtimationem. Ut, qui neſciunt talia doctiſſimos, graviſſimos, ſanctiſſimos homines ſcriptitaſſe me ſcribere mirentur.*

Ut iſtam ſeveritatem hominum abjecit Plinius, ita ſvaves, jocoſas, argu-

tas,

tas, ac ad decori leges, propoſitas plures reliquit epiſtolas, tam ornatô feſtivôq; ſtylô, ut hic vix reperiatur in illis orationibus, quas paſſim ſcripta perſtringunt.

Prima ſit.
Epiſtola Plinii ad Flaccum.

ACcepi pulcherrimos turdos (*id eſt aves quæ nobis aſſe veniunt in Polonia,*) cum quibus parem calculum ponere, nec urbis copiis ex Laurentino, nec maris tam turbidis tempeſtatibûs poſſum. Recipies ergò epiſtolas ſteriles, & ſimpliciter ingratas, ac ne illam quidem ſolertiam Diomedis, in permutando munere imitantes. Sed quæ facilitas tua, hoc magis dabis veniam, quòd ſe non mereri fatentur. Vale.

2da Epiſtola Plinii ad Tacitũ lib: epiſtolarum.

CUpio præceptis tuis parere, ſed aprorum tanta penuria eſt, ut Minervæ & Dianæ, quas ais pariter colendas, convenire non poſſint. Itaq; Minervæ tantum ſerviendum eſt. Delicatè tamen, & ut in ſeceſſu & æſtate In via planè nonnulla leviora, ſtatimq; delenda

ea

ea garrulitate, qua sermones in vehiculo se--runtur extendi: his quædam addidi in villam, quum aliud non liberet. Itaq; pòémata quiescunt, quæ tu inter nemora, & lucos com--modissimè persici putas: oratiunculam unam & alteram retractavi, quanquam id genus operis inamabile, inamænum, magis laboribus ruris, quam voluptatibus simile

Jamné hic vociferaberis Jovita ubi claritas? ubi sententia? Tantum est in sapientibus eloquendi pondus, quod nos longo studiorum, ac ingenii ab iis remoti intervallo, admiremur. Compara quæso, utrū amplificatio illa oratoris, f.505. quæ styli gratias æmulabatur solertiùs, sit cognitione difficilior, an verò hæc Plinii Epistola? hujus Plinii, qui suis sæculis sapientissimus, qui nostris eruditissimus, cujus ingenium cunctæ adoravêre regiones, suspexere Academiæ, civitates admiratæ. Videant Critici quid humanitatis officium extorsit à calamo. Quicq; Plinius in aliis gravissimus, hic admodum levis, qui alibi planus, hic per abrupta gradiens,

ens, qui alibi clarus, hic ænigmate involutus. Equidem hic Novocomensis Orator, hoc ſtudium in univerſis ſuis expreſſit epiſtolis quod Ariano ſuo faſſus eſt.

Ut in vita ſic in ſtudiis pulcherrimum & humaniſſimum æſtimo, ſeveritatem, comitatemq́; miſcere, ne illa in triſtitiam, hæc in petulantiam procedat. Qua ratione ductus graviora opera luſibûs jocisq́; diſtingvo.

Sectio 96.

De Inſcriptionibus.

FAuſtinus. Dum audio multorum conſilia, quibus elogiarem ſtylum, adeòq; inſcriptionibus, conſecratā muſam, refellunt, atq; tanquam peſtem latinitatis errantes inſectantur, illud mihi obvenit proverbium: Lupus arat. Scimus etenim non omnem ad omnia, à natura partum. Etenim corvi in æmulationem irent luſciniæ, & luſcinia quandoq; crocitaret. Minerva Jovis filia

lia ſubtiliſſimum, tamen ſolidum educit filum, at Arachne craſſiore parente nata, in certamen ſubtilitatis deſcendere poteſt, ſed tamen ſtabile educere non poteſt, ventô enim aut muſcæ impetu perfringitur: cum ab illa hoc procedat natura, quæ plus toxicô tumeſcit, quam ingenii ſubtilitate, plus ventris quam mentis habeat. Non omnes enim cum omnibus donis naſcimur. Pluribus autem quantumvis ætate & eruditione provectis, negatam à natura ſubtilitatem firmitati junctam vidimus Sect: 90. Jugum itaq; ſibi imponit, dum ille de inſcriptionibus, meditatur. cui congenita facultate ingenii, vetitum eſt ludere, adeòq; ultra crepitam procedit, dum cenſoriam virgam ad inſcriptiones extendit, hic, quem dotes hujus ſtyli à cunis deſtituêre, nec igniculi in adulta ætate ſe ſe prodidêre. Quare meum liberum expediam de inſcriptionibus judicium.

Inſcriptiones triplicis claſſis ſunt

ima

1ma enim historicè narrat ut illa.

Jmperator Cesar M. Aurelius Antonius Pi-
us. Felix Augustus Maximus Parthicus
Britanicus.

Pontifex maximus.

Aquam Martiam variis casibus impeditam
Purgato fonte excisis & perforatis montibus
Restituta forma. addito ponte novo Antonio
In Sacram urbem perducendam curavit.

Hæc Inscriptio ingenium non requirir, sed unà cum sculptoris & fabri indole nasci potest.

2da Oratoria. Ubi amplius minatur Orator, & solidas rationes jungit, brevitati fæderatas, cui non oberit una aut altera prudenter injecta argutia. Hujus exemplum esto inscriptio statuæ.

Sigismundi III. Poloniæ Regis
æternitati.
Sigismundus III.
Svecis à natura
Polonis à libera populorū suffragatione
utrisq; à DEO datus Rex.

Joanne

Joanne Sveco & Catharina Jagellonia hoc est è vetustissimo Gothorum & Polonorum utrinq; Regio Sangvine natus.

A Patre Regum Sapientissimo
regnandi, à Matre fæminarum pi-
issima, Deum colendi
artes edoctus.
Ita vixit ut regnare,
ita regnavit, ut vivere eum diutissimè
Reipublicæ interfuerit.
Regnavit à pueritia, vixit ad senium
semper bonus, supra suorum vota
semper felix.
Bello invictus, victoriâ mitis
Pace justus, nihil unquam magis timuit
quàm bellorum causas,
nihil minus quam eventa;
Bellavit sæpe, vicit semper
triumphavit nunquam. &c.
Vixit annis LXVI. quod Regũ nõ multi
regnavit XLIV. quod pauci

In hac inscriptione sunt rationes solidæ allatæ *vg.* Quare Rex? quia Svecis à

natura, Polonis per liberam electionem in regnum datus &c.

Supra suorum vota semper felix, lumen est oratorium ab hyperbola petitum. &c.

3tia Inscriptionum species, Pòética fere, argutiis maximè distincta, tuncq; valet, dum materiæ postulat amænitas, loci jucunditas; quales inscriptiones hortis, adhiberi possunt, ductis artificiosè fontibus, picturis levioribus, & festivitatis causâ formatis, locis ad ludos præstitutis, aulis juventuti ac teneris annis exercendis præfinitis &c.

Tale est illud epitaphium, quod sepulchro hominis quidem ingeniô præstantis, sed parum prudentis inscriptū.

Hic jacet ingenium
Expectat judicium.

Sectio 97.

Historia.

Historia pariter triplicem classem habet

habet: aut enim eſt nuda rei narratio; aut rei narratæ per rationum ſolidarũ adminicula expolitio, juncta illuſtrationi per ſimilia, & alia, quædam; aut eſt Pòética, id eſt nimis ornata tropîs & ſententiîs & argutiis ceu gemmis diſtincta. Stylum hunc triplicem adhibebit Orator pro varia rerum exigentia.

Nuda rei narratio eſt ferè in Livio: & Pater Kruſinski in tragædia vertentis belli Perſici prope eſt orator.

Pòética Narratio argutiisq; intertexta, eſt illa quæ elogiis concinnandis ſervit. Quare exempla earum facile videri poſſunt in Juglaris inſcriptionibus. Nuda rei narratio nullum affectum ciet, negligit figuras ac ſententias, periodos Oratorum artificioſas, reiicit. Exclamationes, interrogationes procul remittit, tropum novum, novã phraſim niſi ſummâ neceſſitate ponit ſimilitudines relegat.

Oratoria autem narratio hæc omnia artis auxilia, licet cum modeſtia & quaſi

ex insidiis advocat & inducit. Cur hæc omnia? Quia hisce condimentîs faciliùs ad legendum irritantur legentium animi. Et pro scopo sui laboris non modo rerum elapsarum memoriã præstituunt, verùm aut ad similia rectè facta, tacito quodam consilio invitant, aut scelerum immanium odia, iniicere suis lectoribus desiderant scriptores, ad quod figuras, novos tropos, & peregrinum historiæ splendorẽ adhibent. Hisce enim omnibûs animi ut toties dictum, voluntate commoventur.

Sectio 97.

Tituli librorum.

JOvita. Contradicendi mihi voluptatem, tibi sumpsisti Faustine. Multis equidem à te dictis consentire cogor; & omnes quidẽ tuos sensus approbarẽ, sed relinquo posteriori tempori, quo vel te acuere ad colloquia possim vel etiam plenè in contra ire.

Fau-

Faustinus. Comercium humanitatis tecum, nunquam recuso, at omne in oppositum dicendū, non meæ sed multorum Oratorū opinioni contraveniet.
Jovita. Etsi hactenus ventilabas meum sensum, ceu violentus Auster pulverem, impetu tibi cognitorum Authorum, tamen superest mihi quæstio, cui vel palmam porrigere tacendo obligaberis, vel si responderis, nullius authoritati tua innitetur sententia. Quot tu legisti titulos librorum, panegyrum, hisce nostris sæculis editarum: Quàm præmeditati sunt; quam superstitiosè quæsiti? quantaq́ꝫ de illis formandis locandisq́ꝫ superstitio, ceu faciem palatii omnes singulariter considerant, cæteras negligendo ædes, ita prima frons libri nunc oculos, nunc animum, nunc approbationem cunctorum rapit, de cætero negligitur. Tamen in omni antiquitate nullus hujus fascini usus erat. Opera Platonis, Aristotelis cæterorumq́ꝫ audivimus. Cæ-

lum, Zodiacum, gàzophylaciũ, Platonis, Aristotelisq; aut reliquorum, non audivimus. Imo tituli libellis præfixi, certissimũ, malæ intus latẽtis rei indiciũ sunt. Quare sequentes: *Lapis in montem & fastigium crescens: Imperium Reginæ florum Rosæ* & cæteri similes, tanquã prostibuli excubiæ, custodiæq; sunt proditorum. Cum nec Majorum nostrorum usu sunt probati, nec excultissimorum Oratorum firmati consvetudine.

- *Faustinus*. Siste paulisper Jovita, verbis iniice frena. Ingenium non maledicta exhibe.

Titulus libri vel orationis est quasi exigua rei ulterioris imago, rudesq; lineæ, materiæ, sequenti stylo pingendæ, aut saltem unius operis ab alio differentia.

Sumuntur autem tituli aut ab explanatione propositionis simplici, nec translata: *vg.* liber Ciceronis Platonis: aut translatè & per tropum; quales sunt:

opera

opera Platonis, Ciceronis: &c per Synecdochen, genus pro specie.

Omnis verò antiquitas usum titulorum per tropum factorum habuit, nam placuit Platoni Metonimia, causam pro colloquiis, aut materia operum, authorem dialogi præfigere. Ita illius Philosophicis monumentis, aut Euthydemus, aut Phædrus aut Tymeus aut Gorgias &c. pro titulo est.

Jam Metaphoricos suarum orationū titulos complectitur Cicero. ıma enim contra Verrem actio, divinatio dicitur per Metaphoram. Jam declamationes contra Marcum Ant: Philippicæ vocantur, ob similitudinem cū iis proximam, quas Demosthenes contra Philippum expediit: ideoq; hoc in titulo Catachresis est. Metaphoræ maximum, licet & aliorum troporum non modicum usum, habet Archirhetor Romanus Joan: Baptista Ferrarius.

Per Metaphoram namq; sunt sequētes tituli orationum: *Lilium inter spinas; Cælestis*

Cælestis ad virginem Legatus: Domũs peregrina: Rachel plorans filios suos: Pontifex dolorum: Supra stellas evecta Nubes: Divini amoris æstas: Beatum incendium: Cælo donata terræ sidera: Infantis DEI corona: Sol alter: ex fuga victor: Ætas florea: Rosa sepulchralis: Laurea Cupressina: Et sibi & aliis Æsculapius.

Per Synecdochen tituli sunt, ejusdẽ Archi Rhetoris orationum, in quibus ferè genus pro specie ponitur. *In igne ac Spiritu Dominus: Virgo vulnerata charitate: Pia Nobilitas: Ex milite Imperator: Heroicæ virtutis, ac charitatis Indica expeditio: Vir lingvarum omnium: Coronatus coronæ contemptor: Adultæ virtutis adolescens.*

Per Metonimiam tituli Orationum sunt ex eodem Archi-Rhetore. *Virgo in montibus demissior: Natalitia solis æterni nox.* Ergo non nostræ, ætatis usus invaluit, titulos venustiores lucubrationi præfigere, nec illi sunt certissimum malæ intus rei indicium.

De

De vitiis Orationis.

Ex hactenus dictis hisce 5. Partibus facile judicabis de vitiis Orationis, quæ ut sapienter sumenda, ita restringenda vel amplianda.

I. *Picologia* cum scilicet omnia in oratione sunt figurata immodicè.

II. *Brachilogia*, cum de gravi, anguſtè & breviter licet seriò loquimur: antequam res explicetur. Pòétis hoc vocatur Asyndeton seu dissolutio: dum istud adhibetur, ne in vitium abeat, dari debet ratio.

III. *Bomphiologia*, sive tumiditas miosi contraria, cum res leves & tenues, grandi oratione, affectatôq; efferuntur. Pòétis est virtus.

IV. *Miosis* est, cum de re magna est tenuior & simplicior oratio, cum tamen gravis sermo de illa requiratur.

V. *Macrologia* est sermo justo longior, superfluusq; verbis constans.

VI. *Asiatismus*. Immodicum dicen-

di

di genus, ornatū verbîs & figuris, sed rebùs inane.

VII. *Homologia*, est vitium orationis, cum oratio tota quasi unius coloris est, nulla varietatis gratiâ levans tædium, quasi cantilena sonis non distincta.

VIII. *Arythmon*, oratio carens numeris & compositione tolerabili.

IX. *Oniconomiton* est oratio confusa, carens arte & ordine, quæ nullam habet dispositionē, nec artificialem, nec naturalem.

X. *Periergia* vitium, cum de re modica & levissima, nimii sumus in tractando, & supra modum quæstionem movemus.



PARS

PARS SEXTA

De Rhetorica Scholaſtica.

CIrcuivimus Jovita omnem humaniorem literaturam, non per apices & puncta enucleando, ſed quæ digna obſervatione cognovimus, propoſuimus. Hæc equidem ſatis puto eſſe, ſi perſpecta fuerint, illi, qui magni Oratioris nomen deſiderat. Nunc ego ſcholaſticus Orator, in umbras deſcendo id eſt ad Rhetoricam Scholaſticam, quæ Ciceroni *umbratilis dicitur*, quod in umbris ſe ſe priùs exerceat, antequam pedem efferat in publicum. Sed primùm de Educatione, alterùm de ratione ſtudiorum.

Sectio. 99.

Educatio.

CAuſas corruptæ eloquētiæ ſuo ævo,

reiicit

reiicit Tacitus nomine ſcenici Meſſalæ in afflictam filiorum educationem: ita enim Dialogo. *Quis enim ignorat & eloquentiam & cæteras artes deſciviſſe ab iſta vetere gloria, non inopiâ hominum, ſed deſidia juventutis, & negligentiâ parentum, & inſcientiâ præcipientium, & oblivione moris antiqui? quæ mala primum in urbe nata, mox per Italiam fuſa, jam in provincias manant: quanquam noſtra nobis notiora ſunt. Ego de urbe & his propriis ac vernaculis vitiis loquar, quæ natos ſtatim excipiunt & per ſingulos ætatis gradus cumulantur, ſi prius de ſeveritate ac diſciplina majorum, circa educandos formandosq; liberos, pauca prædixero. Jam primum ſuus cuiq; filius, ex caſta parente natus, non in cella emptæ nutricis, ſed gremio ac ſinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat, tueri domum, & inſervire liberis. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis ſpectatisq; moribus, omnis cujuspiam familiæ ſoboles committeretur, coram qua neq; dicere fas erat quod turpe*

dictu,

dictu, neq; facere quod in honestum factu, videretur. Ac non studia modo, curasq; sed remissiones etiam lususq; puerorum, sanctitate quadam ac verecundiâ temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris: sic Attiam Augusti matrem præfuisse educationibus; ac produxisse principes liberos accepimus. Quæ disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera & integra, & nullis pravitatibus detorta unius cujusq; natura, toto statim pectore arriperet artes honestas: & sive ad rem militarem, sive ad juris scientiam, sive ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret. At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus, aut alter ex omnibus servis plerumq; vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis & erroribus, teneri statim & rudes animi imbuuntur. Nec quisquã in tota domo pensi habet, quid coram infante domino, aut dicat, aut faciat: quando etiam ipsi parentes, nec probitati neq; modestiæ, parvulos assvefaciunt, sed lasciviæ

sciviæ & libertati. Per quæ paulatim impudentia irrepit, & sui alieniq; contemptus. Jam verò propria & peculiaria hujus urbis vitia, pene in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor, & gladiatorum equorumq; studia. quibus occupatus & obsessus animus, quantulum loci bonis artibus relinquit? quotum quemq; inveneris, qui domi quidquam aliud loquatur? quos alios adolescentulorum sermones excipimus, si quando auditoria intravimus? Nec præceptores quidem ullas crebriores cum auditoribus suis fabulas habent. colligunt enim discipulos non severitate disciplinæ, nec ingenii experimento, sed ambitione salutationum & illecebris adulationis.

Sectio 100.

Ratio Studii.

MAgnus exsibilator scholasticæ juventutis Barclaius cum nihil prætermisisset, quò acrius illam in suo Satyrico perstrinxisset, cum rationem studen-

ſtudendi præſcriberet, nihil hac in re attentare auſus, id ſolùm reliquit, ut ita juventus adjungatur exercitationibus, ne iſtæ nocumento ſint ſanitati, cūjus defectu in juvenibus, tum magna eruditio, tum ſplendidum eloquentiæ munus, nihil vitæ ulterioris conferret officiis. Equidem quis ſtylus juveni conveniat ſatis hanc quæſtionem expedimus ſupra Sect: 89. ſed tamen ad maſculam Rhetoricam ducendi ſunt, ſolidasq; rationes; in quibus ſi eloquentia luxuriet, id ſane magnam ſpem fovet in herba. Ita enim Cic: lib: 2. de Orat: *Volo ſe efferat in adoleſcente fæcunditas. Nam faciliùs, ſicut in vitibus, revocantur ea, quæ ſe ſe nimium profuderunt, quàm ſi nihil valet materies, novâ ſarmenta culturâ excitantur. Ita volo eſſe in adoleſcente, unde aliquid amputem. Non enim in eo poteſt eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem conſecutum.* Quare omnis licentia Pòética in ſtylo juvenili ſoluto, ut approbari poteſt

ſic

ſic cum laude deleri. Hujus eloquentiæ luxum in exemplum profert Cicero orationem ſuam ad Brutum de Oratore fol. 172. *Quantis illa clamoribus adoleſcentuli diximus de ſupplicio parricidarum, quæ nequaquam deferbuiſſe poſt aliquanto ſentire cæpimus. Quid enim tam commune.* (reperitur idem etiam in oratione pro Roſcio) *quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis, ita vivunt dum poſſunt, ut ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur: ita poſtremo eiiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant &c. Sunt enim omnia adoleſcentis, non tam re & maturitate, quã ſpe & expectatione laudati. Nec verò hic unus erat ardor in nobis, ut hoc modo omnia diceremus: ipſa enim illa pro Roſcio juvenilis redundantia, multa habet attenuata, quædam etiam paulo hilariora.* Huc usq; Cicero: hoc ejusdem de Oratione pro Roſcio, quam abſoluto Philoſophiæ

curſu

cursu habuit, judicium. Huc refer Sect: 76. num: 4. Quare eorũ laudatur praxis professorum, qui juventutem argutam esse contendunt, modò à solida oratione non abducant, imò in ea vehementer exerceant. Quòd si quis censorum maximè argutam, Orationem Rhetoribus vibrantiùs ac plenè interdicat, facile illud apud Puteanum ni fallor Quinctiliani dictum reponi potest: *Et sic doctores ipsi necesse habent cum insanientibus furere. Nam nisi dixerint quæ adolescentuli probent, soli in scholis relinquentur. Sicut ficti adulatores, cum cænas divitum captant, nihil priùs meditantur, quàm ut quasdam insidias auribus faciant. Sic eloquentiæ magister, nisi tanquam piscator, eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos, sine spe prædæ moratur in scopulo. Sed quid hoc aliud apud Agellium Taurus Philosophus conqueritur, legem discipulos dare, qua discant? alius ait hoc me primum doce. Item alius hoc volo inquit discere, istud nolo.*

Hic à Sympoſio Platonis incipere geſtit, propter Alcibiadis comeſſationem, ille à Phædro propter Lyſiæ orationem. Quid ergo eſt? Studiô vincenda obrepentia vitia ſunt, & cum eloquentia cæteræ artes delibandæ. Quare ut eloquentia à ſua non demittat majeſtate, congruum eſſet, non modò, doctrinîs; moralibus ac politicis curſim proiectis adoleſcentum pectora intingere, verùm aliqua parte Philoſophiæ moralis, vel Politicæ imbuere, quod nos conati ſumus, tum ante affectuum naturam calamo ſubminiſtrando Rhetorico, tum in præſens Politicam Lipſii de bello, ad reddendum interpolatis exercitiis patrio idiomate injungendo: ſecuti ſcilicet illud libro 3. de Oratore apud Ciceronem relictum de Græcis Oratoribus. *Apud Græcos qui cujusmodi eſſent videbam tamen, præter hanc exercitationem lingvæ, doctrinam aliquam & humanitatem dignam ſcientiâ,* maximè cum idem Tullius luculenter teſtetur ideo remitti ſplendorē eloquen-

tiæ, quòd aliunde diſcendi, aliunde dicendi, facultas ſumatur. Hoc artis auxiliô, multum ác cum lucro addet, illi Encyclopædiæ Profeſſor, quā pro inventione Oratori magnifico, univerſi fere conſtituerunt Rhetores, multum quoq; ad facundiā, maximè ſi lectio Ciceronis & Oratorum, quos in tabella propoſui Chronologica Sect: 5. phraſiumq; *Aldi Manutii* accedat cognitio.

Neq; adeo deſperandum eſt, ne ætas juvenilis quemquam, ab hac ut ita dicam ſevera Oratione prohibeat. Nam ut ait Tacitus in Dial: *19no ætatis anno L. Craſſus, C Carbonem, 21 Cæſar Dolabellam, 22 Aſinius Pollio, C. Catonem, non multo ætate antecedens Calv9 Vatinium, iis orationibus inſecuti ſunt, quas hodieq; cum admiratione legimus.* Sed hic rigor orationis molliendus, exercitiîs feſtivioribûs intertextîs, ut guſtus pueris quoq; ad hanc ſolidam acuatur dictionem.

Jovita. Lego in libro de emendandis vitiis eloquentiæ § 23. exemplum 6tū

pag: 76. in quo tractatio hujus propoſitionis. *Aliena ſecreta rimari ac domi alienæ curioſum eſſe non expedit.* Rogo te Fauſtine ſequens oratio ingenium ne Oratoris maturi, an vero ſcholaſtici? & primum turgeſcentis ſtyli præfert?

Fauſtinus. Lege Jovita lucubrationē.

Amplificatio.

Jovita. Quam nocivum ſit aliena ſecreta rimari, vel hinc collige, quòd per rimas ejusmodi, non una ad rimantem pertingat clades. Sancta Sanctorum ſunt, arcana aliorum, quæ temerario & profano auſu velle aggredi, plusquam ſacrilegum eſt. Manna hoc abſconditū maneat, non cuivis palato degustandum. Minimè ſibi ædificabit baſilicam elogiorum ſtructuram ille Dædalus, qui domi alienæ inexpectatus hoſpes, eo quo non licet curioſis pertinget alis, certe enim nimium curioſi ruinam redordientur Icari. Fortunatior profectò Palinurus, qui ſui muneris invigilat naviculæ, nec ſe in immenſum negotiorum ad ſe impertinentium committit archimare. Pone ante os tuum, ne in aliena ſecreta furibundo feratur appetitu, illud Herculis; non plus ultra, nec Gy-

gant

gantæo Briarei ad illa procede passu, ad quæ lentulam testudinem necesse est agere. Bene in ethymologica nominum derivatione coincidit Domus cum Dominis, ut quisq; suam nisi scire, suam nisi hæreditare contentus, sit. Felix ille Hortensius, qui sub rosa servatos, alienorum secretorum flosculos in se avidior Alcinous transplantare non ambit, ne compunctivas ei spinas & tribulos quandoq; afferant. Secreta enim vero sunt, ut secernantur à multis, arcana dicuntur, ab optime custodita arca, non una duntaxat clavi obseranda. Orbis domitor Heroicus Macedo, plures est nactus amicos, sed unum secretarium Ephestionem. Aliena hæc si quispiam scrutetur penitiùs, aleam in forsi quispiam scrutetur penitiùs, aleam in fortuniorum incurrit. Optimè sibi consuluit, qui post cortinam velata cæterorum secreta videre non desiderat. Exspes ille & expers suæ quietis semper erit, cui hæc non arridet sententia: in aliena domo noli esse curiosus.

Hæc amplificatio juvenilis est, Pòética, atq; praxi Tullii supra prolatæ similis, eruditione juvenum imbuta, eò laudabilior, quòd spem boni, *primúq; conantis*, seu incipientis alat ingenii, & messis, futuræ. Nam si juxta Arist:

afferre simile est signum boni ingenii, quod ulterius perfici, excoliq; bonis artibûs possit: hæc oratio tota fere imaginibus rerum constat, ubi secreta aliena, cum his, quæ *Sancta Sanctorum* dicuntur, cum manna abscondito, cũ arca conferuntur. Jam verò sectator alieni arcani cum Dædalo, Icaro, Palinuro, cũ Hercule Hortensio, comparatur simplici comparatione, non illa quæ ex proportione venit. Adduntur insuper aliquot argutiæ ex Paronomasia ductæ: ut *rimari per rimas. Domus, & dominus: expers & exspes,* quibus juventus delectatur, & cum sit scientiîs & artibûs inculta ad solidas rationes descendere vel nolit vel non possit, nisi fere manu ducatur: cumq; ad illud simile, quod proportionem inter quatuor involvit, atq; in conformatione totius propositionis, cum idæa in aliis rebus quæsita consistit pertingere ob vires ingenii primum turgentes non valeat, simplici similitudine rem inornat, quod Pòëtarum

tarum maximum privilegium est.

Cum verò Pòética sit inventio, non est mirum quòd elocutio paulo ad licentiam laxata sit, affertq́ verba nova *archimare, compunctivas, coincidit impertinentium,* quæ censuram mererentur, si non affectûs vel urbanitatis gratiâ ponerentur, & quidem frequentiùs. Ego enim non auderem, cuiquam cerā affigere, verbi unius novioris causâ, cū & præcepta, antiquissimorum Rhetorum, idem permittant, & in usu clarissimorū Oratorum extiterat. Etenim eum causarum, consiliiq́ preconē, qui Latinè temporibûs Ciceronis non loqueretur, *ne hominem quidem putabant* ut ait Tullius, & tamen idem & verba vetusta, & peregrina, & nova permittit Latinis ipseq́ in usu habet. Demum Demosthenes, eo tempore, quo cum Æschine æmulo, in Areopago certaverat, ad quod eloquentiæ duellum, tota ut ait Cicero concurrit Græcia, objectum sibi tanquam ultimum ad confingendū

gendum clavum audiit, quòd lingvam Græcam, novis quibusdam vocibus corrumperet, licet respondit, *fortunam Græcorum non in vocibus repositam*, nobis tamen reliquit, iis sæculis, quo Aristoteles utique cum Demosthene Platonis auditor, suam Rhetoricam evigilavit, summum puritatis lingvæ Græcæ fuisse studium & tamen ab eodem Philosopho, verba nova concessa Oratoribus, quæ etiam in usu Demosthenis posita fuisse vidimus. Quare cum Oratores coguntur aliquando insolens verbum suæ svadæ immittere, & præterea obligantur, ne tandem talium vocum copiâ, lingvam Latinam & corrumpant & immutent, optimum consilium caperent, si tales voces, dum typo sua subministrant opera, *Cursivâ* ut vocant exprimant, sic enim præcautos suos lectores efficient.


Jovita. Perspecta mihi est artis tuæ industria, aut veriùs totius orbis consentientis judicium; aliqua enim

Ora-

Oratorum opera, quæ ex Encyclopædia formata vides, reiicis ad Oratorũ regulam, aliqua ad solutam Pöësim aut argutam Rhetoricam, alia ad scholarũ exordia, & primos eloquentiæ surculos. Mihi tamen hæc omnia perplexa videntur, nisi exemplo ostendas, quantum sit & quale argutarum & earũ quæ ab Encyclopædia promanant solidarũ orationum dissidium. Scio enim ex Cicerone, ut ex locis Rhetoricis posse levia effluere & solida, sic & ex scientiis. Omnis enim eò argutior est, quò pluribus instructus scientiis & eò solidior, quò pluribus informatus scientiis.

Faustinus. Tuo ingenio satisfacere conabor. Sed quoniam continuò agitor scholæ labore, ideò illa tibi semina exporrigam tàm solidæ inventionis, quàm argutæ, quæ ingeniis meorum discipulorũ inseminare attentavi. Sumam itaq; Imaginem S. Casimiri, cui cruci affixus DEUS manu hæret, omnes fontes aperiam argutiarum, plures ibi leves,

leves, jocosas, hilares invenies, sed parce, omnes locos Rhetoricos moventi, judicium debet accedere, ut seligas & reiicias, pro tua materia. Equidem nulli hic sales sunt, qui insulsi sint, si competenti loco adhibeas. Ponam item rationes solidas in eadem materia. Sed in dispositione locorum industriam Bulæi sequar, qui omnes Oratoris contemplationes ad 6. revocat quæstiones. 1ma an res sit. 2da quid sit. 3tia quot duplex sit. 4ta qualis, 5ta quid agat. 6ta quanta sit. Juxta igitur horum locorum Provincias, fontes Rhetorum, & ex illis profluentes proponam argutias, omissa interrogatione prima, ad quam probandam omnes loci inserviunt.



Sectio 101.

Inventio arguta.

In laudem Imaginis S. Casimiri Christum crucifixum tenentis.

Quid sit.

1 A *Definitione* hominis: *animal rationale.* Si Philosophiæ deessent argumenta, quibus animal rationale Casimirum probaret, id evidenti esset documento, quòd cum Christum Crucifixum teneat, à pio Passionis Christi sensu, animal diceretur, à coronato Spinîs DEI capite vendicasset, rationis acumen.

2. *Ab admirationis facultate* Admiratio tantæ crudelitatis, quam Solymeus inflixit Christo furor, potentiam mirandi in Casimiro excitavit.

A Genere.

3. *Sanctus.* Quid hic apotheosim illi è Romano evocemus Olympo? cui Sanctus Sanctorum,

rum. æternæ sanctitatis donavit privilegium, cum se ipsum in manibus locavit Divi.

4. Nec illi radios *Sanctorum* negare licitum, cui spinarum aculeis, radios divorum format, spinea corona DEI.

5. *Regis filius:* Nec decolor magnis majestatibus purpura Casimiri est, quam Christi Crucifixi cruor, tinxerat vehementiùs.

6. *Rhetor:* Casimiro studioso eloquentiæ, satis ingens ac totius vitæ occupatio fuit, unicū Divinum verbum, sed passivum.

A Notatione Nominis.

7. Temnite Rhodios Colossos, temnite mundi miracula, quæ sæpe integra in sui structura exhauserunt sæcula. non *casus* virtutis in *Casimiro*, plura struxit prodigia, cum ab admiratione Sancti, vulnera contemplantis, magis Christus pendeat, quàm à cruce.

8. Currenti salutis viam, nullus poterat in opinatus *Casus* innocenti conscientiæ accidere, cui ob oculos posita via ad Cælum DEUS,

9, Miracula nomini Casimiriano inclusa audis: vide quanta abstinentiæ, quanta flagellationum edit prodigia, dum Christi passionem miratur.

A Conjugatis.

10. Quantumcunq; se se humilitatis, demittat Divus artificiô, nunquam è *Regia* stirpe hunc esse dubitabis, qui ita à *Rege* Regum divelli non patitur, ut à Patre filius.

A Causis.

11. *A causa efficiente physica Imaginis.* Nullus Apelles venustiùs in manibus Casimiri Christum depinxerat, quàm ipse Divus. Qui colores suarum virtutum, ad efformandum in se Christum passum disposuerat.

12. *A Causa instrumentali vg. linea.* Primæ morum regulæ DEO, vita Casimiri congruere debebat, qui lineam vitæ suæ, ad Christum ceu modulum in cruce extensum, posuerat.

13. *A causa morali efficiente picturam vg. amore Christi.* Divinum Christi amorem, in acie Casimiriani locatum pectoris, nemo imbellem autumet, armatus est hic, sed sagittis spineæ coronæ Christi.

14. *A causa materiali ex qua Casimirus.* Ad omnem virtutum messem, excultus Casimiro ager *corporis*, quem menti Juvenis Beatissimi, contemplatione infixi clavi Christi, inararunt.

15. Neq; poterat Flos Nazarenus in ligno Crucis exarescere, cum illud lignum fæcundissimæ Casimiriani cordis terræ, implantatum,

fuerit

fuerit, rigatum ſangvine flagellis excuſſo.

16. *A cauſa materiali in qua: manu &c.* Summæ poteſtatis in cælo ac terra Caſimiriana manus, quæ pro ſceptro aureo, Regem regum tenuit.

17. Nemo Chriſtum Sacerdotem ſummum ambigat, cui Caſimirus crucifer prætulit *manu* crucem.

18. *A Corpore.* Si ſputis deformata facies, velata DEO, huic ſiparum juventus Caſimiri ſuam obtendit pulchritudinem.

19. Fortiorem ego corpore Caſimirum Chriſto autumem, cum ille ſolam crucem portare non poterat, poterat eandem ac Chriſtum portare Caſimirus. *hæc poteſt dici audax.*

20. *A Cauſa formali anima rationali.* Acutum fuiſſe Caſimiro ingenium vel patet inde, quòd in Chriſto angulari lapide illud accuiſſet, ceu ad lydium, comprobatur.

21. *Ex ſenſu Ariſtotelis qui ſedem memoriæ, in poſteriore capitis parte aſſignat: quod pueri oblivione rerum preſſi illam renovent fricando caput. Levis omnino argutia & jocoſa.* Ingenium Caſimiro ſubtile quidem, ſed & memoria excitatior, quam innovabat continuò ſcalpendo caput meditatione ſpinarum Chriſti.

22. Nulla pertinacia Caſimiro, cui ſemper volun-

voluntas ad bonum fuerat humilitate Christi inclinata, nec durities cordis illum tenere potuit, quem sangvis Christi emollivit.

23. *A causa formali accidentali communi juventute:* ab æstu ardoreq; scelesto uri non poterat flos innocentissimæ juventutis Casimirianæ, qui sub umbram arboris salutiferæ meditatione declinaverat: quemq; mare sangvinis Christi irrigabat.

24. Lubrica Casimiri juventus cadere nequiverat, quæ se cruce Christi ceu Jacobi baculo sustentaverat.

25. Juvenis Casimirus, quia totam vitam supputabat unica Cruce, de qua pēdebat Christ9.

26. Castigatior illi adolescentia, ad plagas 5. Christi Domini: *levis nimiū prout & superior.*

27. *Ab oculis.* Faces oculorum Divi, non flammâ fortunæ, sed mari sangvinis DEI accendi solitæ, & frontis lumina nunquam cruoris Divini Oceano emerserunt.

28. *A causa finali nempe DEO* Canonicam possessionem DEI adiit Casimirus, quia sedem felicitatis æternæ Christum manu tetigit.

29. Certus hic Christi hæres, cum privilegium hæreditatis cruentis disciplinîs suo inscripsit dorso.

30. Possessio DEI juri in rem innixa fuerat

quia

quia se ipsum Christus tradidit Casimiro.

Antecedentia.

31. In Adami manu ruina mundi, in Casimiri manu pretium Orbis, quia Christus.

32. Jagellonum est Litvaniam unire Poloniæ Casimiri, Jagellones unire Christo.

23. Jagello succensus Divinæ zelo gloriæ extinxit ignem, quem sua gens colebat DEUM: Casimirus ignem consumentem DEUM, in ligno excitavit crucis, quem colant universi. Ille depressit serpentem, quem gentis adoravit superstitio, hic serpentem æneum extulit ad aram pectoris.

24. *A consequentibus, odio mundi.* Habuit terrena odio quia cælestia amavit.

35. *A contemptu mundi.* Mundus à Casimiro, pede proculcatur, dum Christus elevatur manu.

Quot duplex res sit.

A partium enumeratione.

36. *Ab arte politica.* Ars regnandi Casimiro perspecta est, cui Regis regum sapientia bene cognita.

37. *A Pòësi* Jucundè Rythmum, Omni die &c. Casimirus cecinit, qui Christum ceu fidem extensam in cruce pulsabat precibus

38. Ligatus Orator Casimirus, dum alligatum Cruci tenet æternum verbum.

39. Laureatus Pòëta Divus, cui lauream aluit arbor Christi triumphalis.

40. In componendo metro bene cogniti Casimiro pedes Pòëtici, cui perspectæ manus crucifixi.

41. Qui Divinum hausit entheum à Christo Apolline, in Crucis tripode reposito, eximia conscripsit carmina Casimirus

42. *A fortitudine.* Hic alter Samson fortissimus, hostes animæ tunc contrivit maximè, cum ad columnam Crucis stetisset.

43. Huic fides minimè cæca, tot oculis quot vulneribus perspexit Divina mysteria.

44. *Ab amore.* Ardor Sanctus amoris Casimiriani, extingvi non potuit, quem Crucis lignum aluit.

45. *A spe.* Navis Casimirianæ vitæ, nunquā infelix naufragium inter mundi procellas timuit, cum anchoram spei in Christo defixisset.

46. *Ab Innocentia.* Innocentiæ Casimirianæ lilium corrumpi non poterat, quod fasciculo myrrhæ Christo alligatum fuerat.

47. Purusq; illi animus quem abluit in cisternis quinq; vulnerum Christi.

48. Omnē maculam à suo pectore ceu charta, erasit Divus licet abjecto & reprobato lapide, tamen Diviniore pumice, Christo passo.

49. *A manſvetudine.* Manſvetus Caſimirus ad Agnum in ara Crucis occiſum.

50. *A liberalitate.* Cui theſaurus bonorum indeficiens Chriſtus ad manum promus erat Caſimiro, ab illo omnis tenacitas, omnis abſuit avaritia.

51. *Ab humanitate.* Humaniſſimus Caſimirus, qui ad domicilium ſui pectoris, Chriſtum invitaverat, & ſi quem orexis, ſitisq Divinarũ rerum preſſerat, huic uvam in Cruce paſſam Chriſtum, Divus propinavit.

Qualis ſit.

Ab adjunctis.

52. *Ab adjunctis perſonæ.* Mortuus mundo Caſimirus, totum ſe in corde Chriſti ſepeliit.

53. Immortalitatis poculum ſalubrius quàm Imperator Chinenſis hauſerat Caſimirus, ex Chriſti pectore.

54. Nemo feliciùs mortalis erat, quàm Caſimirus, quem vita moriens Chriſtus, animaverat.

55. *Ab adjunctis congenitis ingenio.* Coronatum ſpinîs caput, Caſimiriano ingenio acumen addidit.

56. *A prompto ingenio.* Tardus ingeniô nequivit eſſe Divus, cui calcar addebant ſpinæ Chriſti.

57.

57. Velox ingeniô Caſimirus, quo ſagittam intenſam in cruce Chriſtum aſſecutus.

58. *Ab honore.* Regalis Caſimiri purpura virtutum colorem vendicat à lacerato murice DEO paſſo.

89. Nullus Caſimiro Rex Pater, quem amet exactiſſimè, niſi Rex dolorum in crucis ſolio depoſitus.

60. *Ab adjunctis fortunæ.* Ducalis mitra S. Caſimiri fulgentior eſt à Chriſto Pyropo, quem paſſionis ſuæ tinxit ſangvis.

61. Jagellonis manipulus, eò fertilior, quo magis frumento electorum ingraveſcit.

62. Huic opulentiſſimi theſauri ſunt, quibus ſe gemmam adjecit Chriſtus.

63. *Ab adjunctis corporis.* Hoſtes Patriæ facile devicit Divus, clavâ crucis armatus.

64. Hic certè noſter Samſon, qui tenet de tribu Juda Leonem.

65 *Ab adjunctis factorum concomitantium.* Caſimiri greſſus ad templum pergentis pulcher fuerat, quem roſa Sangvinis DEI paſſi inornabat.

66. *Ab adjunctis particularibus.* Caſimirus fertiliſſimus Jagellonum manipulus, qui ex uno grano vitæ Chriſto ſuccreverat.

61. Vere aureum Caſimiro Regis filio, vitæ ſæculum; quia igne conſumente DEO probatū.

A ſimili.

68. Feraciſſima Divus arbor, quē fructum ſalutis uberrimum manu profert hominibus.

69. Lilium Divus inter ſpinas crucifixi.

70. Dum in Regis purpura prodit Caſimirus, ortum ſolis juſtitiæ de mari rubro ſangvinis, ominari licet.

71. Ad Chriſtum cytharam, ſuæ vitæ chelim, recte inſtruit Caſimirus.

72. Feraciſſimus ille hortus, quem lilium innocentiæ, roſa pudoris, flos Nazarenus, lilium convallium adimplet.

73. Triumphale hoc ſertum quod lilium innocentiæ Caſimirianæ, ac roſa patientiæ Chriſti contexuit.

74. Gratiarum Caſimirus rivulus, qui fontem omnium ſuarum virtutum ducit à Chriſto.

A Diſſimili.

75. Videam coronam ſine gemmis, annulū ſine adamante: Caſimirum ſine Chriſto non videam:

76. Arbores ſæpe remittunt, amittuntq; flores, nunquam Chriſtum Caſimirus.

A Repugnantibus.

77. Regis filius purpuris ornari non potuit, qui nudum Chriſtum ſequebatur.

78. Minimè Caſimirus delicatè enutritus, qui juventutem ſuam inter ſpinas verſabat Xti.

79. In aula Patris Regia, ſolitudinem invenit Divus, qui cum ſolo loquutus Chriſto.

80. Regis filius proh ſuperi ignobilitatem Chriſti induit.

A Contrariis.

81. Sol poli Sarmatici Caſimirus, cunctos virtutum illuſtrat ſplendore, etſi nube paſſi DEI, omnem ſuam velavit poteſtatem.

82. Non eſt hic terrenus homo, qui totus cum Chriſto in Cælum migravit.

83. Vivit Polonia ſine nube dies, dum Caſimirum obſcuriorem reddit, nubes paſſionis Xti.

84. Ad Sangvinem paſſi DEI, Jagellonis paludata veſtis, purpureum ac ſublimem gloriæ amittit colorem.

85. In malam crucem miſit Divus mundum, dum bonam amplexus.

86. Serenior ab obſcuritate paſſi DEI Caſimirus, quàm à Regum titulis.

87. Qui colit Chriſtum humilem Caſimirus, contemnit mundum ſuperbum.

88. Omnia oblivione tumulavit, qui ſolius Chriſti memor fuerat Caſimirus.

89. Solvit pectora Divo amor DEI, quem illigatum Chriſto ſtringebant vincula paſſionis.

Quanta ſit.

à Comparatione.

90. Nauclerus tutus inter procellas Caſimi. ad Crucis clavum.

91. Divinior Atlas hic, cælum purpureo rubens ſangvine, ſuccollat manibus.

92. Nova miraculorum contentio, Franciſcus Aſſiſienſis duas in duabus manibus, Caſimirus in una dextra quinq; Chriſti fert plagas.

Hæc ſunt gratiæ, & lumina educta ex locis Oratorum intrinſecis: quòd ſi argutiarum omnes aperirentur fontes, innumerus harum feſtivitatum prodiret exercitus. Etenim hic *comparatorum* fere vis explicatur, reſtant *Luſus, Repugnantia & alienatio,* quæ in Pòëtarum præceptis facilè reperias, quæ hic paululum attigimus. Ut ad hoc feſtivitatum culmen pervenias, lege antiquiorum Pòëtarum epigrammata, maximè Martialis: quæ cum minorem induſtriam adferant, ideo ſua facilitate, magis ad naturam humanam accedunt, quàm ad artem ac gratiora ſunt,

sunt, minùsque fastidii creant. Cæterum illas evolvere in animo proposui ut quoque proferrem in publicum ex iisdem fontibus ex quibus flumen eloquentiæ promanat, gratum quoque auribus verborum strepitum prodire: qui jucundior est, si orationi instar luminis Oratorum de quo Sect: 61. diximus, inseratur. Scimus enim illos rivos esse oculis svaviores, qui interdū strepitum aliquem auribus non absonum cient, ac promovent. Id autem nos facimus abundanter cum juvenibus, ut scilicet habitum facilitatemque argutiarum agitatione, contrahant, flosculos hosce intimamus: qui quoniam solido etiam Orationis cibo innutriendi sunt, ideo ad solidas rationes, magis viriliter, ex fontibus intrinsecis Oratorum, rem comprobantes, procedamus. Laudem autem Imaginis Sancti Casimiri promam, quā calamo discipulorum objeci, splendidè tractandā. Hanc quisquis velit, ornet seu Rhe-

torica,

torica, seu Poëticâ ut Aristoteli placet, id est nimiùm splendida elocutione. Nos hic Isocratis, scholasticôq; stylô exemplum exhibemus:

Sectio. 102.

Inventio.

RAtionum solidarum in laudē Imaginis S. Casimiri, Christum Cruci confixum tenentis, ex locis intrinsecis juxta Soarii dispositionem sumpta.

A definitione.

Imago S. Casimiri est signum Casimirianæ virtutis, tractatur per Syllogismum. Major. Avitæ virtutis signa, in quanta cura antiquitatis integræ, posita fuerant, omnia elapsæ memoriæ documenta, perhibent testimonium, In victorum excolendis statuis, se se integra fatigabat scalpelli industria. Triumphales arcus Fabii, omne artis exhauserunt ingenium. Imperatorum virtuti erecta templa, locupletissimos evocarunt thesauros Erigite præsentis sæculi artifices, ad commendandam Principum majestatem, portas & adytus Pario ex lapide, aurô fores inflammate, inornate parietes

auleis

auleîs aureô filô intertextis: antiquitati, solum fere ac unicum ornamentum fuerat, aut majorum suorum, imagines fumò ac vetustate maculatæ, aut coronæ sertaq; in agone vel bello conquisita, præmia scilicet immortalia postib9 præfixa, adeo ut illa domus, quàmvis fumi fuligine violata, fuerit splendidior, quæ pretium sui, non à smaragdo vel thesauris ædificio impensis, sed ab avitæ virtutis monumentis esset commendatior. Inde est quod Sigismundi Regis statua, tanquam libertatis authori in aditu urbis Varsaviæ proposita, toties sui gratam memoriam, toties reverentiam, toties cultum majestati optimæ sanctissimæq; debitum excitat in civibus, quoties à Polonis suspicitur.

Minor Imago autem Divi Casimiri gestantis Christum, signum est ejus virtutis, qua pectus, qua animum, qua imbuit Poloniam. Amor enim ille DEI passi qui Casimirianum inflammaverat pectus, veluti solis cursus, stylô horologii, sic icone demonstratur adeo ut nemo dubitet, illum Principem, dilectione passi DEI totum absorptum fuisse in vita, cui post mortem, depositiq; exuvias corporis, prudens penicillus, Christum manibus inseruit.

Conclusio. Avitæ itaq; Casimiri virtuti date cultum mortales, & cujus probitas cordi

est,

eſt, ſit quoq; dignitati, vitæ Sanctiſſimæ imago monumentum.

A partium Diſtributione *per Enthymema.*

Antecedens. Neq; hic quamcunq; Caſimiriani corporis ideam, à cultu excipite. Procul abſit ut Jagellonicæ virtuti aut in lapide animatæ, aut in coloribus propoſitæ, aut in argento vel auro effulgenti, timida quædam opinio ſubtrahat dignitatem legitimam. Omnẽ enim parem noſtrorum atavorum memoriam, colimus nos poſteri. Ponimus in palatiis coloribus commiſſos Majorum vultus, merita in Patriam, æreîs aut ſaxeîs ornamus, ſtatuîs: & ubi exuvias corporis ſepulchris inferimus, ab oculisq; triſte cadaver ſummovemus, ob perpetuum extinctorum virorum monumentum, in mauſoleis marmoreos excitamus vultus. Id-eſt cunctorum ſtudium in colenda noſtrorum Proavorum Avorumq; memoria: (*Concluſio*) quam negare Caſimiro vel datam reſcindere, id eſſet aut virtutem Divo ſubtrahere, aut è civium Chriſtianorum catalogo, eundem delere impudentiùs.

A No-

A Notatione Nominis.

Imago quasi in ima ago per Syllogismum.

Instrumenta seu humani seu Divini favoris, gratiæ fæcunda privilegia, eò veneramur enixiùs, quò nobis liberaliùs proferunt beneficia. Aura equidem communis cunctis est, eò vilior, quòd in ejus salutarem usum, cuncta conveniant animantia; tamen si illam aut spissiores nubes, aut roscida crassaq; occupavit diuturniùs exhalatio, tristitiam induimus, quòd evibratos a sole retundat radios, qui cum nobis vegetandis, robustis conservandis, infirmis ab ægritudine levandis, multùm conferant, eò magis impatientiâ votorum expectamus serenitatem aeris, quò hic devehendo salubre Phæbi lumen, illud nostræ vitæ magis facit propitium. Nunquam cum Ægyptiis suspiceremus nubem, nisi ventorum impulsa ministeriô sitientes feracesq; agros conseminaret pluviâ. Etsi suavis Cytharæ concentus, aures imbuit, tamen chelym quoq; amamus singulariùs, cujus auxiliô aurium nostrarum fabricatur illecebra. Ita sæpe certamen nostro iniicitur pectori, plusné instrumenta rerum nobis faventium, an ipsos favores recolamus.

Minor Casimiriani tamen dignitas animi

quam

quam cælesti Capitolio virtus intulit, ita sibi gratias conciliat apud homines, ut in sui idæam, majestatem propriam redundet. Instrumentum hoc scilicet addictæ nobis Casimiri animæ, ita recolimus, ut uberiores ex illo nobis beneficiorũ rivi defluant. Certe hæc plures pietatis formas, in tabella nostri depinxit pectoris, quã Apelles. Plura Divinioris vitæ monumenta insculpsit, quam statuas Praxiteles. Hæc enim Casimirianæ Imaginis indoles est, ut quamvis nullo viventis sensu prædita sit, tamen sine sensu pietatis respici non possit. In ima scilicet de Cælo Divus hac formâ sui ait: dum desidiam mortalium pulsat, atq; excitat ad paria vitæ miracula. Una hominis substantia, sed duas regiones complectitur, alteram superiorem in animo repositam, alteram inferiorem infirmitati nostri corporis coæquatam. Stat Casimiriani forma corporis virtutum actibus animata, atq; fragilitatem nostræ carnis, ad sanctioris vitæ incitat monumenta, ut pudeat nos, imbecillitatem nostram, spirituali in agone obiicere, dum corporis species Jagellonici, infirmitatem nostram redarguit vehementius. (*Conclusio*) Cumq; nobis sit ad sanctissima calcar exercitia, tantò illam amemus singulariùs, quantò ad optima nobis instrumentum est.

A Con-

A Conjugatis.

Imaginor: per Enthymema.

Antecedens. Imaginari Sanctos, religiosum ac svave, ut scelestos & scelera horrendum. Quis enim tam prurientis lingvæ afflatus insolentiâ, ut illos configat verborum aculeis, qui majorum, qui amicorum, sangvine junctorum, immortalia facinora, mēte obiiciant, cogitatione expēdant, gratæ memoriæ frequentiùs proponant? Ita illi charitati, ita amicitiæ ita sacerrimæ æmulationi satisfaciunt, dum mentem suam, ad revocandam horum memoriam provocant. Si autem profana virtus immissa tabellæ mentis tantorum bonorum copulata emolumentis: quantò magis Sanctorum vita? quæ quoties facultatem memorandi subintrat, toties internis solatiis perfundit animam, incendit pectus ad pares virtutum triumphos, æmulationem suscitat, avitæ Christianorū sanctimoniæ. Cujus absoluta idæa cum toties nobis obiicitur, quoties Casimirum imaginamur, necesse ut illis Christianæ vitæ coloribûs pectus imbuat, quibus sacerrima Christi vitæ æmulatio, Casimirum depinxerat. Unà enim cum Principis beatissimi imagine menti insculpta, necesse est ut summa sanctitatis, irruat ingenio admiratio. Ut eum satis mirari non possimus, cui

cui Christi studium, summas divitias copularet cum exagerato fortunæ contemptu; summa commoda, atq; regias delicias, cum inexpleto mortificationum usu, summum quia Regium honorem, cum celsissimæ humilitatis insignibus.

Conclusio. Quod si imaginari Casimirum nemo poterat, nisi virtutum acies in mentem irrupisset: nec imago oculis proponi, nisi universa Casimirianæ probitatis memoria spectatorem ocupasset.

A Genere

Seu memoria S. Casimiri per thésim & hypothesim.

Vita illa Casimiri sanctissima, quæcunq; reliquit sui posthuma monumenta, illa, ut memoriæ sic venerationi commendamus enixiùs. Non aliter ac occidentis solis purpureas reliquias, cælo post occasum repositas, avido spectamus oculô. Nec enim tantum corporis venerandi articulis, damus oscula, vestium quoq; resectarum segmenta, regum purpuris præferimus. Et Paltatia ipsa imo conclavia ac cubicula, quibûs Jagellonis virtus, se se exercebat, tanquam sanctimoniæ veneramur sacraria. Quam svavi concentu, ingenii monumentum, dulce musarum melos, Mariæ laudibus

bus à Casimiro excitatum, hucusq; nostris personat in auribus? quantis cum gaudiis illos quoq; tangimus libellos, quos quotidiana Divi evolvebat devotio? Nulla est Casimirianæ vitæ memoria, quam intimô animi sensu non prosequamur intimè, quam cum imago S. Casimiri exhibeat, illamné austerò corde contemplabimur? &c.

A Specie

Idest particularibus imaginibus per inductionem, si quæ fuerint vel miraculis claræ, vel altaribus magnificis ornatæ, vel auro, cultuq; singulari distinctæ & Oratori cognitæ.

A Simili

per prothasim & apodosim.

Imago Patris filius est: cujus non modo vultum & lineas verum sæpe ipsas dotes animi repræsentat. Grandem injuriam Parentis honori imponit, qui prolem afficit contumeliâ, nec ille officiosus Genitori est, qui stirpem verbis vellicat acerbiùs, aut proscindit vehementiùs.

Colores qui Casimiri speciem intercipiunt, ut corporis lineamenta, ita magnum Passionis Divinæ, qui cor Divi compunxerat sensum explicant: & quod Parenti proles, hoc imago

Casi-

Casimiro est. Si idæam ejus privas honoribûs, etiã Divo injurius es. Neq; enim sine doloris sensu hic esse poterit, cujus imago blasphemiis laceratur.

Hoc artis etiam ostentum ut Jagellonicarũ virtutum typus est, ita veluti limpidissimum speculum cæteris prostat mortalibus, quotus enim est, qui hoc contemplans prototypon, maculas conscientiæ detersit, virtutum induit habitum, ad sanctimoniæ speciem suam composit vitam, omnemq; suæ deformitatem emendavit animæ? quotus in Orbe terrarum est, qui politissimas splendentesq; vitri tabulas, aut coinquinet impudentiùs, aut abiiciat audaciùs, aut confringat temerariùs? Turpes homines, ac monstrosi, buccîs difluentibûs horridiores Æsopi, hunc nostræ mũnditiei monitorem, tollere conantur, ne se ceu naturæ horrenda cognoscant monstra. Quorum æmulatione correpti flagitiosissimi, profligatissimiq; mortales, imagines Divorum tollunt, ne suorum scelerum, ab his censoribus coloratis, severiùs moneantur.

A Dissimili.

Ut cæteras artes, ita Apellis exercitationem, commodis regnorum litavit hominum industria. At parum est imagines Casimiri in vita

auxilia

auxilia pretiumq; laboris fabricari, parum in ornamenta parietum vocari, parum in oculorum illecebras strui. Majorem istæ emolumentorum speciem, ingeniô penicilli meditantur. Non ita enim oculos nostros involat Jagellonis prototypon, ut famelicis lapis obiicitur, à quo nullum suæ famis, levamen, emendicare possunt. Non ea religione, hanc idæam colimus, ut Ethnici idola, statuasq; Deorum, inquibus ut falsum virtutum mirabantur colorem, ita vanâ spe auxilii, ab iis ferendi, tenebantur; quorum Deorum potentia, ut insanientis opinionis viribûs, subnixa fuerat, ita nullas mortalium egestati ferre potuit suppetias. Nos typum Divinissimæ Casimiri vitæ, ita contemplamur, ut ad veræ virtutis æmulationem sollicitetur animus, eiq; litamus cultus, cujus, cum DEO strictior amicitia, omnia apud illam exorare majestatem potest, quæ unô verbô hanc mundi fabricavit machinam.

A Contrariis.

Contradictoriis imagini, ut non sit imago.

Tollamus venustis coloribus commissa Divorum simulacra, quo palatia, quo penates domesticos inornabimus? Aprisne an Leonibus! Elephantîs an camelîs? Omnis enim supellex mundi, ut habet dotem, qua nos recreet, ita ut penicillum mereatur. Pingimus laurus, quod

à fulmine protegant: pingimus cælum; quòd commodis hominum, rerum mirandarum eventu, ſe ſe impertiat: pingimus apros, quorum nobis generoſa ſui defenſio, parit miracula; pingimus Leones, quorum fortitudo, prodigii ſpecimen exambit. Itá nihil picturam expoſtulat, quod aliqua facultate præditum non ſit, quam laudemus. Aut ſi quod otioſum eſt, picturæ mandamus, ut abſolutam omni induſtriâ naturam, intér naturalium rerum ſtrenuum exercitum admiremur. Sola Sanctorum Caſimiriq; Diviniſſimi pictura, nobis erit faſtidio? Quid quæſo num Regis hic filius, inter otia vitam expendit? Demq; hunc tabellæ, ut otioſiſſimum hominem, in aula contemplemur Regum Poloniæ. Si verò virtutum reliquit admirationem, cur eam coloribus denegemus. Credite auditores, eò mortalium quorundam proceſſiſſe inſaniam, ut cum Leonis robur, Elephantis in bello obſequia, aſſvetum oneribus cameli dorſum, mereantur penicillum, quæ rebus, longo terrarum intervallo disjunctis, conciliet gratiam: Caſimiri virtus, legibq Divinis conformis, Chriſti vitæ congruens, Divinus ejus amor, rerum indurata patientia, fides conſtantiſſima, mores omni exempti acrimoniæ, memoriam, quæ icone in poſteros transmittatur non mereatur? quanta hæc hu-

manæ

manæ exiſtimationis inſolentia, quàm flagitioſa petulantia, quàm magnæ honoris Divorum injuriæ conjuncta temeritas? Quare cum Caſimiri imagines tollere, ſit ſacrilegum, easdem ponere religioſum eſto.

Ab Adjunctis.

Quod imago in Rhetorica poſita ſit.

Sæpe locus perſonæ & Perſona loco dignitatẽ communicat, mutuum eſt hæc inter certamen: Plures de authoritatis ſuæ contendunt ſtatione. Sed non minus ſtationis commendatus ſplendor, ſi à ſe alienum indignumq; nanciſcitur poſſeſſorem, verboſiùs querulatur. In Caſimiro loci ac Perſonæ, tranquilla æmulatio eſt, cum & ille dignitati ſcholæ, ſua ſatisfecit majeſtate, & hæc majeſtas dignitatem Rhetoricæ, omni abſolvit votô. Cum enim ejus imaginem intra umbratilis ſtudii parietes retulit, hominũ induſtria, intra eosdem, quandam loco conciliavit reverentiam. Semper enim magnis negotiis, aula illa præſtituta eſt, cui magnorum virorũ icones inſeruntur. Nec lixarũ ibi domiciliũ credito, ſed aut Conſulũ Patriæ, aut inſigniũ virorũ diverſoriũ. Ubi Deorũ idæas diſponebã-Quirites, ibi magna, quia Religionis ſacramenta tractabantur. Nec Capitolio tanta eſſet & pene immortalis memoria, ſingularis loci reverentia, & admiratio; niſi victoriarum ſigna

id est avitæ Romanorũ virtutis imagines, non modo parietes ornarent, verum mentem victorum rectè factis innovarent, ut quisq; illud artis ostentum, cum admiratione memoretur, cum stupore respiciat. Tanta loci veneratio venit à signis victoriæ, tanta scholæ promanat commendatio ab imagine Casimiri. At hunc favorem sibi impensum Casimiro, restituit eloquentiæ Musæum. Etenim stationem prototypo Divi præfigere, hac in arená, ubi virtus & eloquentia in stadio de corona contendunt, ingens ac magnificum. Quid enim augustius, quàm in exemplum probitatis & doctrinæ ire adolescentibus? quid religiosiùs, quàm juventuti nobilissimæ, magna sanctimoniæ ac eruditionis imprimere insignia? Hoc gloriæ monumentum consequitur Casimirus, cum in frequentissima studentium corona, ejus typus collocatur. Eloquentiæ palatium nihil est, nisi honoris, famæq; conclave est: magna ejus omnibus in seculis admiratio, existimatio magna. Si huic Casimirum coloribus impressum, inferunt mortalium studia, necesse est, ut illi singularis gloriæ, deferant privilegia.

Ab Antecedentibus.

A colorum conquisitione, labore pictoris.

Jllud sanè mirari satis non possum, quòd illa quæ in miraculum fabricantur, multô

morta-

mortalium consurgunt labore. Quantis hominum argentiq; impensis Salomonis constructum templum, quanta Arthemisiæ Reginæ Cariæ industriâ, se se elevavit Mausoleum? Quid pyramides Ægyptiæ, quarum singulæ trecenta sexaginta artificum millia, viginti fatigarunt annis. Quot sæcula vicit Ephesinæ Dianæ templum? sudoresné omnes colligam, quos Phidias effudit, dum omnem artem in Achaico Jove, ex frustis lapidis Porphyrii coagulando, exerceret? aut non dispari industriæ felicitate, viginti cubitis excelsam Minervam poneret? Neq; Cari levius excidit exercitium, cui solis imago, Rhodii colossi insignita nomine, in tantam crevit altitudinem, ut inter crura, limitibus duarum rupium innixa, malô informatæ naves commodissimè transirent. Quid Pharos! juvit equidem operam mortalium ipsa natura, cum tantum lapidem indivisum genuisset, ut ex illo amplissima turris exscindi posset. Sed hominum ingenium superavit naturam, cum illud portentum, vastius Acrocerauniis montibûs miraculum, ex Armenia in Babyloniam, prodigiosô studiô delatum esset; cum Troia obsidione cingeretur? Tantum defatigantur in illis ostentis, quæ ad admirationem orbis constituuntur, hominum artificia. At si magna parvis quandoq; licet conferre,

me Auditores in ſtuporem rapit ſingulariùs, quòd ad apparatum Caſimirianæ imaginis, totus mihi videtur orbis commoveri, omnia verſari elementa, mundi omnes adiri plagæ Quot enim maria illi colores, qui, ſe iconi Diviniſſimæ donarunt emenſi ſunt? Ab Indis, à Braſilis, ab ultimis quidam venerunt mundi receſſibus, inter tot pelagi hominumq; pericula, inter tot fere naufragia curſum terrâ mariq; tenuerunt, ut in Poloni Juvenis pingendam venirent Majeſtatem. Quàm verò copioſus ligo terram fodit, ex montibus & collibus ejecit montes, profunda terræ rimatus viſcera, ut aptam imaginibus Caſimiri proferret materiem. Quid plura? verba me priùs deficerent, quàm apparatum pingendæ Caſimiri formæ idoneum, ſigillatim deferrem. Quare tantus hominum conatus, pericula tanta, ſudores tanti, magnum aliquid ut in cæteris ita in Caſimiri conſtituunt idæa.

A Conſequentibus.

Jam ſolers penicillus evigilavit Caſimirum, publico propoſuit ſpectaculo? Quis eſt mortalium, ut venuſtiſſimam juvenis ſanctiſſimi ſpeciem non laudet, quis eſt qui vultum ad virtutum omnium formam compoſitum, atq; cum Narcyſſo & Ganymede venuſtate certantem non miretur? Quis ſibi ſtimulum ad virtutem

tutem iniici non sentiat? Ars approbatur, penicillus extollitur, ingenium pictoris commendatur, vita Divi recolitur, laudatur, atq; omnium oculi, omnium sanctè curiosa sagacitas concurrit: quibus omnibus stipata imago adminiculis, sui amorem expostulat, observationem exigit, cultum sui exposcit.

A Repugnantibus.

Imaginem S. Casimiri habere, & nullum fructum ex ea capere.

Nil est, quod aut DEUS finiverat, aut natura protulerat, aut ars expresserat, quod cũ innocentia alicujus emolumenti conjunctum non esset: Minima stella atq; oculum effugiens scintillans sydus, in mortalium eventus influere perhibetur, exiguas herbas, ac gramina cujuslibet anni puerperiô, terra germinat ad salutares usus. Omnes scientiæ Civili vitæ retinendæ serviunt, multisq; indigentiîs obseptæ ad sublevandam rerum succurrunt egestatem. Omnisq; partus artis, commodis mortalium procreatus est. Ergo pictoris industria, penicilli exercitia, Casimirianæ virruti conscripta, nullius boni lucro inventa sunt? Ergo iam otiosam artem in Casimiro putabimus? quæ alibi operosa est? Cæteranè naturæ monumenta oblectationi & sapori servient; ab omni gustu, svavitate, erit aliena Casimiri imago?

cætera

cætera honori, hæc contemptui? cætera gloriæ, hæc infamiæ, cætera lucris animi vel corporis, hæc detrimentis proderit? Quare ut imago Juvenis Divinissimi sine mortalium emolumentis, proponi non potest, ita nec tolli ab oculis nisi cum flagitio.

A Causis.

Celebris est inter mortales interrogatio, qua causâ quisq; aut quidvé surrexerit, ut rerum dignitati, pro mensura suæ consulant originis. Ita principes adoramus sangvinis, quibus non virtus, sed atavorum cruor pinxit purpuram. Sub Aristotelis magisterium, totus se se præcipitabat orbis, quòd suam scientiam celebriorem fore autumaret, quæ tanto eruditionis Parente promanasset. Cumq; magnum probitatis specimen, fulgori scientiarum copulatum in Socrate, suspexisset doctior antiquitas; quamvis musarum delicias in mellea Platonis Philosophia gustasset, se Socraticam jactitabat: se absolutam, scilicet omni perfectione fore existimans, si ab eo fonte deflueret, qui probitatis una, ac doctrinæ limpidissimæ, rivos duceret. Nec in illas solum causas inquirimus, quæ operoso conatu, memoriam sui relinquunt, verùm pensiculatius examinamus, quæ mentem, quæ causa cor pupugit agentis hominis, ut se operi redderet, monumentumq;

mentumq; suarum virium relinqueret, ut si augustior artifex rei ratio fuerit, eò majore gloriâ susceptum facinus ornemus. Miramur partam victoriam, roburq; parium Leonibus militum; sed si ferocitas, aut ambitio, aut avaritia, in officina cordis ad bellum cudit ensem, perfecit stragem; mox gloriam in infamiam, triumphos in superbiam, admirationem in contemptum convertimus.

Licet cæterarum Sanctarum imaginum, Principes, Reges, Cæsares, Sancti, causæ fuere, qui augustam manum operi sancto concedere, in gloriæ lucris duxerunt; Casimiri tamen hæc idæa, licet operam Regum meruerat, non tamen habuit: obscurô forsitan parente fabricata. Tamen si ad eam rationem, convertamus oculum, quæ penicillo monitor fuerat, erit certè augustior ratio, quæ tabellam pictoris, coloribus oneraverat. Unâ enim cum nostro Apelle, picturæ dedit operam, absolutum omnium virtutum exemplum, spesq; magnæ pietatis in populo propagandæ. Nec enim sola Jagellonum gloria, posteris transferenda, colores miscuit: quot quot virtutum chori, Casimiri insederunt pectus, eæ omnes, suam industriam in formanda Casimiri specie contulerunt; adeo ut si patientia roseas genas, jam modestia oculos, mortificationum usus, pallo-

pallorem, patientia dorsum, meditatio Christi frontem sibi pingendam eriperent. Omnis enim hic virtutum exercitus desidiam excivit penicilli, ut tanto esset commendatior species Casimiri, quanto augustiores virtutes, in illa ponenda, tanquam causæ præclari hujus operis concurrissent.

A Causa formali.

Multum interest quo habitu corporis, immortali gloriâ viri clarissimi, pingantur. Etenim si Alexandrum contemplor in urna? desperatio, superbiæ remittit supercilium; si à vulnere gementem? audacia deponit heroicos spiritus. Si muris hostium insilientem? æmulatio paris gloriæ, pulsat pectus. Nec idem nobis animi sensus est, cum nobis Leonem ferocem, atq; mortuum, muscarum pabulum, proponit tabella Protogenis. Nescio enim quem nobis fascinum iniiciunt colores, ut quē cæteris animantibus habitum, indidit penicilli ingenium, eundem nobis tacita pictorum affectuū avaritia, nobis à natura indita, persvadeat.

Casimiri habitum non mortis pallore exangvem, ac viribus fatorum stratum, colores offerunt, sed stantem, & quasi ad iter cæleste expeditum: ut non mirum sit, si contemplator hujus imaginis animus, cælum contendat; quē Casimirus erectus corpore, ad cursum sollicitat.

Ab

Ab Effectis.

Gratias ingenio pictoris habemus Oratores, quæ nobis non otiosam proposuit Casimiri idæam. Loquitur illa sine verbis, perorat sine vocibus, svadet sine orationis auxilio, ut illam complectamur vitam, quâ se se Filius Regis exercuit. Teneritas hic annorum coloribus commissa, reprimit senum pigritiam, qui quò plus vitæ exegerunt, eò minus sanctimoniæ iter cucurrerunt. Juventus quoq; Divissima, quotidie objecta oculis, adolescentiæ pungit ignaviam, quæ virtutis consiliis, veluti petulcus juvencus, impudentiùs recalcitrat. Quid ultra? alii jejuniis facies extenuant, alii flagellis corpora castigant, alii meditatione Passi DEI absorbentur. Cui hæc emolumenta vitæ conscribemus? Imagini Juvenis Jagellonici, quæ mortalium desidiam, ad parium virtutum pertrahit certamen.

A Comparatione.

Imago animi, vultus est. Indicat ille quid quid mens in abductis cordis fodit cuniculis. Indicat quo hærede tenetur anima: adeo ut si vitia insederunt internum animæ domicilium, nisi hypocrisis siparum obtendat, omnia prodeunt in faciem. Si virtus, absconditum pectoris obsedit conclave, tota in oris blandam compositionem dimissa videtur, nec humilitatis

dolns,

dolus, illam ex fronte delere potest speciem, quam probitatis in ea pinxerat penicillus. Illud tamen animadversione dignum, admirationem nostram expostulat: quòd leviora sint cunctis vulnera lethalia, manui, pedibus pectori infixa, quam levis alapa. Quasi animus mortalium, in id maximè vindicandũ instiget, cui sui maximè commisit imaginem: ut exiguo ictu violari non permittat, cujus lineis se se mandaverat. Par sacrilegium audet ille, qui Casimiri violat imaginem. In eam enim quasi in sui indicem & præconem, omnes fere dotes animi effudit Juvenis Jagellonicus, quibus æternitatis gloriam consecutus est. In faciem Casimiri peccat, qui peccat in imaginem, atq; cujus merita satis mirari non possumus, ab ejus vultu oculos surripere nequimus: præcavemusq; ne quid in oculis ejus audeamus, cujus rectèfacta colimus singulariùs. Si vero Casimiri imago cui procreat invidiam, illum opus est, aut in Divinissimi Juvenis absolutos non consentire mores, aut impudenter ac sacrilegè insolescere.

Hæc inventio solida est laudi Imaginis S. Casimiri consecrata; maturiùs hæc, quàm illa arguta probat propositum, quia illa ornat nonnisi, hæc verò quasi perunctis brachiis ad luctã descendit. Itaq; diversitatem argutæ solidæq; inven-

inventionis, ac ad Encyclopædiam evigilatæ ipſa conſtituunt exempla.

Sectio 103.

Monita quædam proponuntur.

PRimum monitum ſit, ut ſi Oratoria occupatio imponatur juvenibus, ita ſuam lucubrationem evigilent, ut à veritate non diſcedant. Alterum ut ille ſtylus in quolibet adoleſcente approbetur, ad quem non magiſtri natura, ſed diſcentis propendet indoles. Hoc utrumq; artis auxilium explicat Plinius epiſtola Geniali ſuo.

Probo quòd libellos meos cum patre legiſti. Pertinet ad profectum tuum, à diſertiſſimo viro diſcere, quid laudandum, quid reprehendendum: ſimul ita inſtitui, ut verum dicere adſveſcas. Vides quem ſequi, cujus debeas implere veſtigia. O te beatum, cui contigit unũ atq; idem optimum & conjunctiſſimum exemplar: qui deniq; eum potiſſimum imitandum habeas, cui natura eſſe te ſimillimum voluit.

Hæc certè lex tanquam ſacramentum artis tenendum eſt. Nam juvenes & quidem eximii ingeniô, laudem quam in aliquo authore legunt conſecratam Duci magno multis victo-

victoriîs insigni, temeré applicant Duci 100. militum, idq; Oratorum artificium, malè persvasi, ac contra omne decorum, volunt esse, ut quæcunq; exagerata laus victoris, cuicunq; præfecto militum possit contribui.

Quod si verò ad Pòésim argutam ducantur, instituendi sunt in phrasibus classicis.

Si verò alia solutæ Pòésis species imponatur exercitationi: libitum erit (modo decori ratio permittat] in quamcunq; personam, omnes virtutes congruas conferre, & si earum testimonium nullum audiverit, imò contraria, tunc enim non demonstratur qualis sit laudatus, sed lex præscribitur qualis esse debeat.

Jam Allegoricæ Orationes quæ ob sui svavitatem sæpe injunguntur juvenibus, optimèq; ab illis tractantur, ac cum gustu, duplici quoq; formandæ artificio. 1mum erit Oratorium si inventio rebus ac veritati conformis sit: illaq; verbis à simili invitatis clarè exprimatur. 2dum Pòéticum, cum evigilator orationis, non quærit, quæ sunt talenta, virtutes, dotes animi & corporis in ornanda persona: sed potiùs inquirit, quorum corporis vel animi munerum, adjuncta similitudinis possint esse imago: per quæ imponit multa laudabilia, quæ in laudato non habentur. Quare tum in allegoria, & elocutione nullum

erit

erit vitium, sed potiùs in persona ornata laudibûs: aut in ejus fortuna: quòd illas virtutes consectata non sit, quas in illa status proprius exigebat. Sed hoc quoq; prudenter & cautè tractandum, ne quid decori legibus repugnet.

Epilogus.


Ubi igitur inventiorum solidæ orationis in Encyclopædia posuimus, ubi dispositionem explanavimus, elocutionem ex variorum authorum sensu explicuimus, ubi generis Epidictici, solutæq; Pòësis rationem inivimus, atq; varias primùm discentium formas evolvimus, ex sensu tot Authorum, quos in hoc *theatro* induximus quid superest Jovita, nisi ut in censurandis aliorum operibus, & cautus nimiùm & prudens sis. Ars enim Rhetoricæ, magna ars est. Vide ne si unam partem fulcias, aliam evertas. Equidem de soliditate orationis nihil ambigendum censeo. Jlla utiq; ex rationibus solidis constare debet, quæ vel ex naturali intellectu ceu promptuario assumuntur, vel ex variis scientiis, præcipuè si materia Civilis est & lege caret, ex Ethicæ Politicæq; principiis, nec non historiâ corrivantur.

Elocu-


Elocutio puto perplexum reddet, cui nemo Rhetorum modum definire poteſt, cum à natura cujusq; profluat. Cui præcepta de elocutione, doctrinas veluti rudem dicendi maſſam ſubminiſtrant, ut effingat pro ſuo genio. Ne tamen natura ipſa in petulantiam abeat, regulis, quas attulimus hoc libro frænanda eſt.

Quod maximè in tyronibus tenendum eſt, ne perversè dicendo, diſcant ut ait *Soarius* perversè dicere.

Ad M D G.









INDEX
Rerum & Nominum
numerus paginam indicat.

A





Metus



Geo-



dici-



Errata sic corrige.

Aquas lege aquilas 256. effutient l. effutiunt 430. Opinior l. opinor 182. Muliebres l. mulieres 200. romotiorem l. remotiorem.

Reliqua, tuâ industriâ Lector benevole emenda.



IN-

INDEX VOCUM.

Quas Authores inter *Barbaras* numerant: aliquæ harum ſunt verius compoſitæ juxtæ dicta pag: 190. uti *appropio appretio Succamerarius &c.* Aliquæ verò à Polonis adhibentur in ſcriptis ultra Regni limites nō ituris. uti decretis juriū munimētis &c. ob rationē allatā p. 311.

Harum vocum ſignificationem in Indice Cnapii quærito. quarum aliquæ Latinè exprimi nequeunt.



